

3
GEORGII
Fabricij Che-

MNICENSIS
ODARVM LIBRI
TRES.

AD DEVM
Omnipotentem.

BASILEAE, EX OF-
ficina Ioannis Oporini, Anno
M. D. LII.

GEORGE

WALTON

OF

THE

WEST INDIES

IN

THE

WEST INDIES

ILLVSTRI DOMI
NO GEORGIO PRIN-
cipi Anhaltino, Comiti Asca-
niēsi, domino Bernburgi, Ma-
deburgensi & Misenensi
Præposito
GEORGIVS FABRI-
cius Chemnicensis
S. D.



Z E C H I A S
rex Hierosolymita-
nus, nunciato Assy-
riorum regis aduen-
tu, priusquam de
exercitu conscribendo, aut de munien-
da urbe cogitaret, ad colloctionē cum
Deo, & ad propheta Dei consilium
confugit: maiore spe in suis & boni vi-
ri precibus, quàm in copys auxiliari-
bus,

*bis, aut firmitate murorum colloca-
 ta. Neq³ sanè fiducia eum fefellit. nam
 & Ecclesia & Repub. conseruata,
 manu cœlesti, & gladio angeli Dei,
 est ab omni metu periculi liberatus.
 Admirandum hoc exemplum est,
 & animo memoriaq³ tenendum: ut
 & nobis quid faciendū, discamus: &
 à Deo quid sit expectandum, ne igno-
 remus. Omnes autem piorum preca-
 tiones, aut ab animi corporis ue peri-
 culo, magnisq³ aliarum rerum neces-
 sariis oriuntur, quæ δ' εὐχαις καὶ ἰστο-
 σὶ καὶ ἰστοῖς ἐν τῶν εὐχαις appellatur à Pau-
 lo apostolo: aut ex beneficij accepti gra-
 tia recordatione erumpūt, quod genus
 εὐχαριστίας nomine idem compre-
 hendit: cum uel è malis erepti gratias
 agimus, uel affecti meritis, laudum ho-
 stias, aut labiorum uitulos (ut Prophe-
 ta lo-*

ta loquuntur) immolamus. Igitur & obsecrantes in rebus angustiis, & implorantes in casibus magnis, & interpellantes in calamitatibus: seu psalmis, hymnis, atq; omni celebrationis genere laudes dicentes, & agentes gratias Deo, iustum debitumq; officium facimus, & uoces minimè inanes irritasue iactamus: modo e a ratione Deum, qua ipse uoluit & praecepit, unius scilicet Christi nomine & auctoritate, inuocemus. Illorum enim non ferenda superbia, & in rebus diuinis deploranda ignoratio est, qui aut sua uirtute dignitateq; nituntur: aut aliorum potius, quam Christi patrocinio, se gratiosos fore cōfidunt. Nam qui audent Deum, patrem appellare, cū Dei filio Iesu Christo alios anteponāt? qui suum nominare patrem, quem in filio

nolunt agnoscere, cuius beneficio filio-
 rû nomen & ipsi accepimus? & Ab
 ba pater, ut Romanis & Galatis Pau-
 lus testatur, dicere audemus? At qui
 de hac potētia qui Christo detrahunt,
 neq₃ Dei nomen sanctum haberi, neq₃
 regnum ipsius propagari, neq₃ fieri uo-
 luntatem cupiunt: negatione enim fi-
 lii nomē deformant, superbia regnum
 destruunt, uoluntatem doctrinæ cor-
 ruptione obscurāt. Quare cum & im-
 py, & arrogantes, & mendaces sint,
 Deum non colere purè, non inuocare
 religiose, non docere sincerè possunt.
 Delicta sibi condonari, uerbo dicunt:
 sed reuera rident eam sentētiam, non
 solum merita efferendo, sed uendendo
 alijs nescio quas iustitias suas. Quid
 est, quaeso, insania, si hæc non est? ex-
 tollere, quod non queas: uēdere, quod

P R A E F A T I O.

non habeas? In iudicio testimonium, aut suffragium in comitio, aut in senatu sententiam habere uenalem, sceleris & perfidia est: preces in Christiano cœtu uendere, & in Ecclesia aliorum recte facta nundinari, pium & religiosum habeatur? His certè fraudibus & imposturis tum uera inuocatio prorsus sublata, tum Christi meritum ita extinctum est, ut eius mentio publicè eiecta, & ex hominũ animis penitus euulsa sit: contrà uerò errores ueteres reuocati, & gentilis superstio introducta, & totum impietatis regnum confirmatum. Exemplum è scholis recens proferam, uiri inter eruditos non ignoti. Marullus Constantinopolitanus, patrũ memoria, hymnos conscripsit, ut Græcus, non ineruditos: ut externus, satis elegãtes & Roma-

nos: sed cum in ijs imperij amissione,
 ruinam patriæ, & exily sui miseriam
 commemoret, quem (obsecro) agno-
 scit & inuocat liberatorem? aut cui
 uota pro spe reliquæ uitæ facit? nõnne
 (ut sacri Regum annales loquuntur)
 πᾶσιν τῆ δυνάμει το ὄρανός, soli, lune,
 stellis, ætheri, uentis, cælo ipsi? Quod
 si in Græcia, in qua floruit: aut in Ita-
 lia, ubi exulauit, doctrina de uero
 Deo, eiusq; filio Iesu Christo, nota fuis-
 set, aut si in doctorum saltem bibliote-
 cis libri sacri locum habuissent, qui po-
 tuisset in id obliuionis ac demetia inci-
 dere? non ille quidem Iouis mysterijs
 initiatus in antro Dictæo, sed per ba-
 ptismum Christi sanguine ablutus in
 Ecclesia. Tumulus igitur eius cum
 mihi monstraretur Anconæ (in Ca-
 cina enim Hetruscorum amne perijt)
 propter

P R A E F A T I O.

propter temporum illorum miseriam
 & istius uiri casum ingemui. Nostra
 uerò ætate cum cœlestis doctrina qua-
 si renata sit, & renouata melior disci-
 plina, et magnæ illa tenebræ, lucis cla-
 rissimæ splendore discussæ: rectum &
 uiro bono dignum officium est, in sin-
 gula ista merita, nomini diuino gra-
 tias agere, et omni studio clementiam
 Dei uoce, oratione, literis celebrare:
 ut ad colendum & illustrandum reli-
 gionis studiū, alacritas excitetur plu-
 rimorum. Conuenit tanti operis me-
 moriam retinere omnes, sed in primis
 literatos: cauendumq̄, ne ij ocio aut
 ingenijs uel in Dei contemptum, uel
 in aliorum hominum perniciem abu-
 tantur: quos & auocare à prauis opi-
 nionibus poterant, & ad maiorē uir-
 tutis amorem impellere pro sua auto-

ritate debebant. Scitè mehercule in
ueteri comœdia, Aeschylo interro-
ganti, cuius rei gratia poetam in admi-
ratione esse conueniat, Euripides
respondet,

δειότιμος καὶ υἱθεσίαις, ὅτι βελτίους τε ποιῶμον
τὸς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσι.

Poetam commodum quendam & sa-
pientem uirum esse uult, eiusq; uirtu-
tes præstâtissimas lucere in emendan-
dis ciuium moribus corruptis. Mores
autem hominum nemo emendat, nisi
ueras certasq; de Deo & de salute a-
nimorum sententias afferat, & omne
genus honestarum actionum & uitæ
laudabilis demonstrat: cultum quoq;
Deo probatum, & inuocationem san-
ctam, non supersticiosam, non adum-
bratam, non quæstuosam instituat.
Quibus rebus florentibus, optimè disci-
plina

P R A E F A T I O.

plina constituta est: neglectis uerò, aut deprauatis, etiam in bonorũ omnium copia, & in reliquarũ legum aut traditionum cultura, maxima confusio, & hæc uita miserrima est: quia firmis ac necessarijs, in dolore, morbo, exilio, carcere, cruciatu, morte, destituitur & priuatur cõsolationibus. ad quæ mala tolerãda, uincenda ue, nulle rationes humanæ satis leuationis aut roboris habent. Fide ardente, conscientia bona, precib. assiduis opus est: ad quæ nõ natura formamur, sed Dei uerbo instruimur: quæ non à sapientibus tradũtur, sed à spiritu sancto infunduntur: non percipiuntur intellectu, sed comprehendũtur affectu: non potentum beneficijs contingunt, sed à filio Dei donãtur, solida, sempiterna, diuina bona, quæ extollenda & prædicanda

dicanda sunt. Nam ex precipuis cultibus, quos probat Deus, et quos mandatis precipit, uel maximus est, laudis & gratiarum actionis. Urbem Sodomorum flagitiosam atq; impiam, cum Deus euertere statuisset, idq; nouo quodã et inaudito exemplo, Abrahamum sui consilij noluit esse expertem: sciebat enim optimum senem, talem in se Dei uoluntatem liberis & nepotibus cantaturum, & celebri memoria propagaturum esse ad posteros. Quid illo sermone potuit Patriarchæ esse gratius? quid eodem exemplo nobis esse debet dulcius? quid facto notius? Cognosci, diligi, laudari Deus uult omnibus dictis & factis: nullius dignitate mouetur, nec tenuitatem ullius abiicit: neq; magis metuendus est ob potentiam, quàm propter indulgentiam

tiam amplexandus. Hæc cum literis exemplisq̄ prodita & testata sint, sæpe animo & sensibus sunt reputanda. ut quemadmodū siti urgente, aquam poscimus: ita mentem cœlestia appetentem, hoc quasi cibo meditationis pascamus, & secundum poetam veterem,

*Latibibamus sobriam
Ebrietatem spiritus.*

Quamobrē cum ante annos aliquot, ijs in locis uersarer, in quibus & pessimorum exemplorum copia, & Christianæ doctrinæ rarissima, uel potius nulla esset cura, hoc exercitationis genere meipsum & monere & coercere sum aggressus. Nihil est enim difficilius, quam publicis moribus repugnare: & ea est natura hominis imbecillitas, ut nihil ex animo citius effluat,

GEORGII FABRICII

fluat, quàm de Deo & eius beneficijs cogitatio. Postea ad meos reuersus, & in munere, propter tempora, satis graui ac molesto uersans, plura addidi, donec hos ad Deum omnipotentẽ Oदारum libros excudi: quos illustris nominis tui auspicio, Georgi princeps, mittere in publicum uolui: ut te & patrono clementissimo, & iudice beneuolentissimo uterer, ad mei cùm defensionem, tum honorem. Non enim cum præclaris Germaniæ familijs, antiquitate & claritate generis solum certas: uerùm etiam uarietate doctrinæ, cognitione rerum multiplici, sacrarum literarum & consuetudinis Ecclesiasticæ scientia, cum uiris doctissimis es conferendus: labore, studio, assiduitate, etiam diligentissimis anteponendus. Quod si iudicio tuo hoc scriptum

PRÆFATIO.

ptum probaui, facile reprehensionem inuidorum sustinebo in eo, quod ad hoc argumentum tam diuersa, & tot carminum genera delegerim. Magnorum certè uirorum facta & res gesta, suam quandam tractationem, & proprium (ut ita dicam) sonum requirunt : & ueluti alia est querela furerum, alia uox conuiuiorum : alius item urbanorum sermo, alia conuictorum uociferatio : ita numeri quoq; definiti sunt, & rebus singulis accommodati modi. Diuinis autem laudibus, ut omnium mortalium uoces ac lingua, ita omnis numerorum uarietas cōuenit. Siquidem in illis non tam concentus & suauitas uocum, quàm mentis puritas, & pectorum canentium harmonia cōsideratur. Verùm accipe Domine hoc paruum à me munusculum,

G. FAB. PRAEFATIO.

*nusculum, quaecumq; observantia er-
 ga te mea indicium: quod te pro exi-
 mia & singulari humanitate, & pro-
 rara ac praestanti uirtute atq; doctri-
 na, clementer facturum esse confido.
 Humanitatem norunt familiares tui
 omnes, & ego ipse saepius sum exper-
 tus: doctrinam demonstrant pracla-
 ra librorum monumenta, quae ad om-
 nem posteritatem ueritatis, pietatis,
 constantiae, studij tui erga Dei Eccle-
 siam, salutaria & perpetua erunt te-
 stimonia. Deum aeternum precor, pa-
 trem Domini nostri Iesu Christi, ut
 Ecclesiae suae, & his regionibus, ac pa-
 triae tuae, diutissime incolumem te con-
 seruet. Vale. Ex ludo illustri, Mi-
 sena. X I X. Calend. Septembris,
 Anno à Christo nato*

M. D. L I.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS
Odarum liber primus.

AD DEVM OMNI-
potentem.

ODA IA

Dicolos distrophos. Versus sunt Archilochij. Pri-
mus compositus ex dactylo tetrametro, & trochai-
co ithyphallico dimetro brachycatalecto: constans
scilicet ex duobus dactylis, spondeo, dactylo, tribus
trochæis. Alter ex iambico monometro hypercata-
lecto, & trochaico dimetro: factus ex iambo uel
spondeo, iambo & syllaba longa, tribus trochæis.

- UU - UU - - - UU - U - U - U
- - U - - - U - U - U

De excellentia fidei, & ad eam à Deo
impetrandam, precatio.



*Ræuia sideribus, pandēs iter
arduum salutis,
Lux uera mentis, tristium
leuamen;*

*Alma fides, hominē qua sola
beas, facisq; iustum,*

*Choros & inter cælitū reponis. (riclum,
Quæ premis atq; fugas, supra caput imminēs pe
Necisq;*

*Necisq̄ terrorem omnibus minantem
Demis, & auxilio nunquã sinis esse destitutũ.*

*Per Adriam, Aetnam, per truces tyrãnos
Intemeratus iter carpã: neq̄ pontus, ignis, ensis,
Nec ulla inermi uis nocebit unquam.*

» *Nã comitante fide, fractus licet obruatur orbis,*

» *Bonis sciamus nil mali timendum. (necta
Credidit, atq̄ fide constans Abrahamus, in se
Gignit potentem coniuge ex anili*

*Egregiumq̄ animi natum. subitoq̄ iussus illam
Maclare stirpem, spemq̄ posterorum,
Sustulit intrepidus telũ. datur ecce uox ab alto:*

*Ensem recondas, iam satis probasti
Pectora fida Deo. Pastor quoq̄ regius, gigantis,
Suis puer nulli timendus armis, (uit:*

*Saxa pedũq̄ tenens dextra, furiasq̄ uimq̄ spre
Imparq̄ membris aenei Golia,*

*Sed fidei gladio uictor, caput abscidit superbũ,
Egitq̄ plenum gloriæ triumphum.*

*Nempe fide Phariũ trãsit mare, fluctib. quietis,
Moses, sequentes copias tyranni, (to.*

*Arma uirosq̄ uidẽs mersos rapido interire pon
Tum pertinaces Marte continente*

*Proterit indomitas gentes, populumq̄ sistit illa
Fluente dulci lacte, melle terra.*

» *Inuia nam fidei nulla est uia, seu per æstuosas
Syrtes ituro deuorantis orbis,*

*Siue per horribiles lucos, et Auerna regna Di
 Hac ipsa carnis molle lubricumq; (tis,
 Vincere sola potest. hac Pelion Ossæ, & altū Hy
 Inferre Caucasum potēs, et Istrū (dassæ
 Iungere mōstrifero Nilo. hanc bone Christe sem
 Nostriq; frigus mētibus repelle. (per auge,
 Fidere dulce tibi nobis sit, ut omnis ista uita
 Sermone, factis, cogitatione,
 Teq; tuamq; canat mortē, tibi fidat, inq; solum
 Te credat. Extra namq; nulla Christum
 Vera salus animis, spes nulla, redēptioq; nulla,
 Via ad beatas certa nulla sedes.* "

ODA II.

Dicolos distrophos. Primus uersus est Hexame-
 ter herōicus, constans spondeo & dactylo indiscre-
 tis, excepto loco quinto, qui usitatē solum habet da-
 ctylum. Secundus, Archilochius dactylicus dimeter
 hypercatalectus, compositus ex pentemimeri dacty-
 lica, hoc est, duobus dactylis, & syllaba una.

-- -uu -- -uu -uu --
 -uu -uu -

Ne bonorum ignoratione petamus, quæ
 sunt ad salutem inutilia, uel noxia.

Qui uerū uideāt, & nō rapiātur, ut alto
 Naui in Oceano,
 Diuersis animi uentis, rarissima turba est.
 Quid nam homo lucis habet,

Post uetiti morsum pomi, uiolataq; iura

Primi parentis Adæ?

Nonne preces precibus, uotis contraria uota

Fundimus ad superos?

Quæq; uiam æternæ remorentur sæpe salutis,

Heu stolidi expetimus?

Ille nocens aurum, magnos rogat alter honores,

Seculaq; Mathusala.

Formam alij: multi robur, ualidosq; lacertos,

Dulceq; coniugium.

Ingenio cupiunt meliores uincere, & optant

Laude parare decus.

Deniq; quæ sua quemq; iubet uitiosa uoluntas,

Flagitat illa Deum.

Sed quot propter opes miserè periere? quot alto

Hora breuis solio

Præcipitauit? & in prima uo flore iuuenta

Abstulit atra dies?

Noxia forma fuit Helchiti: robore Samson

Victus ab ipse suo est.

Isaides thalamos illustres laude pararat:

Quid tamen uxor ei

Profuit, iniusti tunc cum crudelia regis

Arma tremens fugeret?

Ingenijs quoq; (quis credat?) sapientia magnis

Attulit exitium.

Cum petat insomnes non excludentia curas,

Materiamq; mali

Stultus homo : tu qui placidissima nomina Iesu

Christe redemptor habes,

Qua bona sunt nobis, indulge, nec nocituras

Aure repone preces.

Ac si perpetui, fidei documenta, labores

Nos sine fine prement,

Da flagrans pectus solido pietatis amore,

Duraq; forte pati.

Quale fuit media in turba, cumuloq; malorum,

Acer Iobe tuum.

Sin domus incolumis, reliquis nec fama laboret

Anteferenda bonis :

Nec segetem rubigo, greges contagia ledunt,

Horreaq; implet ager:

In cunctis animum excelsum, recteq; fruendi

Adjce notitiam.

Vt mens diuino (seu nube aquilone remota,

Clara sit orta dies,

Siue austri turbent) ipsis animosa procellis,

Seruiat imperio.

Nam qui spes firmas in te uno fixerit, omni

Tempore letus aget.

“

“

ODA III.

Dicolos distrophos. Versus Archilochij. Primus
iambicus trimeter, secundus dimeter, uterq; acatale-
etus : qui in locis paribus iambos, in imparibus iam-

bos uel spondeos admittunt. Prior sex pedibus absoluitur, & dicitur senarius: alter quatuor perficitur, & nominatur quaternarius.

-- u -- -- u -- -- u --
-- u -- -- u --

Pro Christianis principibus, ut piè
& iustè imperent.

» **S**eu principi bono regamur, seu malo,
» **O**mnis potestas à Deo est.
Sanctòq; iussi non renitimur iugo,
Nisi ille mandet impia.
Quòd sit bonus dux autem, & æquus ciuibus,
Donum supernæ gratiæ:
Quòd sauus autem, quòd repugnans legibus,
Nostro meremur crimine.
Terris Pater largire cunctis principes,
Tuæ fauentes gloria.
Qui te colant, qui te colentes diligant,
Nihilq; credant utile,
Quod non ad omnium salutem ciuium,
Bonumq; spectet publicum.
Qui non cruenta bella, non affectuum
Cæcum sequantur turbinem:
Sed esse patres, esse custodes gregis
Se Christiani cogitent.
Ac quando nunquam cernit unus omnia,
Nec solus ex se dux sapit,
Dei timentes atq; cordatos uiros,

Pericla fortes spernere,
Puras habentes à pecunia manus,
Adiunge amicos regibus.
Quales setro ferre de cunctis iubet
Suae maritum filia:
Qualesq; legit fortis Abia nepos
Prudente corde iudices.
Pestes at illas, qui cruore pauperum
Instar Cycloperum uictitant:
Qui iura condunt, nulla seruant: qui fouent
Malos, premuntq; innoxios:
Qui ueritatem blanda per mendacia
Migrare cogunt exulem:
Ex Christiani, non dans impijs locum,
Expelle principis domo:
Vt imperando sanctè, & exemplis bonis,
(Omnes suorum nam ferè
Mores sequuntur atq; facta principum)
Vulgus trahatur, & uelut
Imaginem loco locatam in arduo,
Bonum intuens in principem,
Iustum colat, uolensq; eidem pareat.
Dux ipse rursus in suos
Mentis paterna cognitus, grauisissimi
Onus laboris perferat:
Nec pro salute traditi sibi gregis
Vitam neget profunderè.

Dicolos tetraſtrophos. Choriambici omnes: priores tres Aſclepiadei tetrametri acatalecti, conſtantes ſpondeo, duobus choriambis, iambo uel pyrrhichio. Quartus Glyconius trimeter acatalectus, factus e ſpondeo, choriambo, & pyrrhichio.

-- -VV- -VV- UU
 -- -VV- -VV- UU
 -- -VV- -VV- UU
 -- -VV- UU

Vt æquam mentem in omnibus rebus
 Deus præbeat.

Quicquid latiugo ſpirat in aquore,
 Aut quæcunq; tulit terra animalia,
 Quicquid ſol oculis aſpicit igneis,

Nil infirmum homine eſt magis.

Qui dum cuncta Deus dat bona præpotens,
 Venturi peragit temporis immemor
 Aeuum: ſin medijs fortè leporibus,
 Surgit triſte aliquid, iacet.

Seruare intrepidam caſibus omnibus
 Mentem perpetuò qui uelit integer,
 Miſſo numine diuinitus indiget,
 Conſtantisq; animi fide.

Quare ſeu dederis diuitias Pater,
 Seu tu pauperie colla premeſ iugo,
 Seu nos innumeris eſſe periculis

Terraq;

Terraq; & pelagi uelis
Subiectos, uacuum siue laboribus
Aetatem incolumes ducere, seu bene
Nobis, seu male sit, ne nimium in bonis
Tollat pectora gaudium,
Aduersisq; metus deprimat, effice.
Nam quicumq; suis te sine uiribus “
Confidit, sterili mandat inania “
Demens femina littori. “

ODA V.

Tricolos tetraastrophos. Primi duo Alcmanij da
 ctylis acatalecti, qui constant ex pentemimeri iam
 bica, hoc est, spondeo, iambo, & una syllaba: &
 dactylis duobus. Tertius Alcaicus iambicus dimeter
 hypercatalectus, habens primo & tertio loco spon
 deum, secundo & quarto iambum, quibus additur
 syllaba indifferens. Quartus Alcmanius dactylicus
 tetrameter acatalectus, compositus e duobus dacty
 lis, & totidem trochæis.

-- u - - -uu - u -
 -- u - - -uu - uu
 -- u - - - u - u
 -uu -uu -u -u

Pro tutela status Christiani, contra
 tyrannidem Turcæ.

O Christe, nutu sidera temperans,
 Nostris benignum presidium malis:
 Quem nemo frustra unquam rogauit,
 b § Corde

Corde rogans humili, fideq̄,

Quas concipis non immerito, graues
Iras; ob horum crimina temporum,
In mitius conuerte, parcens
Supplicibus miseris, precamur.

Nox atra Eoo surgit ab aequore,
Eurusq̄ nautas murmure territat,
Crudiq̄ Thraces Christiano
Perniciem meditantur orbi.

Iam uela cerno, stareq̄ classibus
Aequor, tubarum iam fremitus uocat:
Arma arma poscentum resultat
Vocibus Hamus, & ora Ponti.

Quò dira uis, quò se furor impius
Conuertet? in gentem pater optime,
Quam proprij nati cruore
Criminibus placidus piasti.

Ostende cunctis obsecro seculis,
Quid possit in te uana superbia:
Atq̄ hunc procellosis ferocem --
Obrue fluminibus Pharonem. --

Quæ terra gentis funera Christidos
Nō hausit? aut quod nō mare sanguinem
Nostrum bibit? quis non aceruos
Mille uagis numerauit aruis?
Auersa nobis qui sola calcibus
Vrget, ruinas tam lacrymabiles

Audiuit:

*Audiuit : aut si quis remoto
 Longius hinc remoratur orbe.
 Sunt plena nostris sidera cladibus,
 Augentq; luctum præter euntium
 Voces superba, quas molestis
 Auribus heu nimium uoramus.
 Aut non Deum gens hac colit impia:
 Aut si colit, tam naufragio graui
 Mersa, impotentem monstrat esse,
 Qui mala tanta queat leuare.
 Auerte tantum dedecus, & tuum
 Serua per omnes incolumem gregem
 Gentes, ut immani tyranno
 Non furere hunc liceat furorem.
 Te rursus Afer, teq; Asia inuocet,
 Olimq; magnis Gracia nobilis
 Ausis, reponat thura Idume,
 In Solyms adolenda templis.
 Vt prædicetur nomen ab omnibus
 Sanctum tuum : nec qua est habitabilis
 Tellus, adoretur Bahalus,
 Aut Mahometis inane saxum.*

ODA VI.

Monocolos. Versus Alcaicus choriambicus pen-
 tamer acataleclus, ex spondeo, choriambis tribus,
 iambo uel pyrrhichio. Vtitur eodem Horatius ter,
 & Catullus semel tantum in Alphenu iureconsultum.

Exhortatio ad pœnitentiam, & precatio,
propter diē IIII. Cal. Iun. anni M. CCCC.

LIII. Christianis calamitosum, capta à
Mahumetanis Constantinopoli.

Quis nostris lacrymas luminibus, quisue
dabit sonos

Aptos flebilis uocibus? aut dicere quis potest,
Quæ contra populos Christiadum Thrax mala
perpetrat?

Eheu flenda dies, atq; nigra digna nimis nota,
Auster nēpe polū cæruleis abdidit imbribus,
Vernæ luce etiam triste caput Pleiades altera
Obscura extulerant, & rubeo Bistonis aluco,
Euxinusq; uadis sanguineis Pontus inhorruit:
Cum portas ueteres diruit, & mœnia nobilis
Byzanti, Scythia præualido milite feruidus
Hostis, cūq; Oriētis rutilo lumine (proh dolor)
Priuans imperium, ceu leo, uel tygris in Indicis
Enutrita iugis, sauijt in Christiadum gregem,
Blasphemog; nefas euomuit pectore plurimum,
Opprobando iubens Christiadas pscere scilicet
A Patre atq; Deo, quā nequeat ferre suis opē.
Titan ipse iubar, nube latens, condidit igneum,
Intactumq; prius Parrhasides Oceanū petunt.
Visum instare chaos, & facies horrida tēporū.
Tellus, astra, frctum, signa noui tristia posteris
Pradixere

Prædixere mali, cuius in hūc nulla quies diem.
 Non quòd difficili Christe pias, nō placidus, pre
 ces

Spernas aure, tui perpetui fœderis immémor,
 Immensaq̄, neges supplicibus munera gratia:
 Sed nos dura premit culpa, sed heu heu nimis
 impiè

Aetas acta tot in criminibus, matris ab ubere.
 Tū mēs & scopulis durior, et surdior aquare,
 Contemptrixq̄, quod hoc iam reuocas tempore,
 luminis,

Verbi Christe tui, quod toties plurib. urbibus
 Cātatū, minimos intra homines edere cernimus
 Fructus, nemo animū sacraq̄ dū corrigit impia.
 Sed tu parce precor, parce precor, perq̄ crucem
 tuam,

Per quā Christe tenes athereo cū patre gloriā.
 Indulge ueniam, nec socij detrahe spiritus
 Lumē, ne tenebris obruta mēs recidat in nefas.

Ac si quid precib. restat adhuc, non sine fertile
 Apros atq̄ sues uastificos perdere uineam.

Dentes frāge feros, sauitiamq̄, excute barbarā.

Diuina petulans isle canis sulmina dextera

Fractus sentiat, & demonio cum Mahometico

Aeterna meritum iustitiā supplicium serat.

Tandem ut per populos Christiadūm gloria no
 minis

*Decantata tui, belligerum corda adamantina
Flectat Sithonidum, ferre tuis munera debita
Templis, paxq̄ solo, paxq̄, salo flore at aurea.*

O D A VII.

Dicolos distrophos. Primus Aristophanicus choriambicus dimeter acatalectus, ex choriäbo & amphibrachy. Secundus Alcaicus tetrameter acatalectus, ex epitrito secundo, choriambis duobus, & amphibrachy: quanquam propter syllabä in extremo communē, in fine utriusq; bacchius etiä inuenitur.

-VV- V-V

-V-- -VV- -VV- V-V

*Vt Christianos, inter hostes suos pressos &
afflictos, Deus consoletur & recreet.*

*CHRISTE hominum redemptor,
Nostra in afflictis statio ac portus amice rebus,
Conde preces benigna
Aure clamantū medijs fluctibus ex malorum.
Prælia miscet Euro
Auster, in nostrū caput omnes ueniūt procellæ,
Sidera cum profundo
Seuiūt. mortē ante uidēt (eheu) oculos paratā,
Perdere quos atroces
Veritatis, crimine magno, meditantur hostes:
Vel Babyloniorum
More, quos uexant Sybarita, madidas habētes
Sanguine Christiano*

Dexterās:

*Dexterās : uel quos Asianus grauibus coerces
Imperijs tyrannus,*

Qui tuos extinguerē uult, et minitatur omnes.

Quem Nabathæa regna,

*Quem timēt Persa, celeris quemq; sciens sagittæ
Parthus, & Africana-*

*Ingemūt Syrtes, populos quē trepidat pererrās
Occiduos Hiberus. (mantur,*

*Christe quæ mens sit miseris, quot' ue malis pre
Cognita res tibi uni.*

*Vtq; res uni tibi nota est, ita solus ipse
Ferre potes leuamen.*

*Ergo quos dignos placido nomine filiorum
Gratia fecit esse,*

*In fide serua stabiles, pectoraq; erigendo
Debilitata firma :*

*Vt suis cum se uideant criminibus seuerum
Supplicium subisse,*

*Rursus erecti, & ueniam suppliciter rogantes,
Experiantur iram*

*Posse sedari gemitu, riteq; pœnitendo.
Nec Deus ipse mortem*

Vis, sed ut uiuēs homo tandē malefacta purget. "

ODA VIII.

Dicolos distrophos. Primus Hipponactius trochaicus dimeter catalectus, ex trochæis tribus, & una syllaba. Proximus Hipponactius iambicus trimeter

meter catalectus, constans ex iambis quinque; & se-
mipede, admissio tamen locis imparibus spondeo.

- u - u - u - -
u - u - u - u - u

Ut uoluntate egregia ad Deum semper
erecti, res humanas contemnamus.

” *REbus est in omnibus*

” *Nihil beatum, suauitas amaro*

” *Blanda felle tingitur.*

Nihil fidele, quicquid inquieto

Thetys ambit equore.

Nihil ue constans mobili sub orbe

Cynthia triformis est.

Et in metu, spe, gaudio, timore

Tota uita degitur.

Inane quidquid sensibus putando

Voluit anxys homo,

Velutq; per loca incitus mouetur

Turbo plana uerbere.

Fretum, solum, polum benignus auctor

Administrat omnium,

Regitq; corda fulciendo mentes

Debiles fidelium.

Hunc inuocemus, hunc precemur, ut det

Fluxa cuncta spernere,

Nec in caducis spem locare fixam.

Nam beare neminem

Opes, amici, scepra, honorq̄, possunt:

Vna sed salus Deo

“

Placere, nec periculo minisq̄,

Territum recedere

“

“

A ueritatis & salutis arce.

“

Cumq̄, mundus omnibus

Fidem professis instet, & perennis

Hostis innocentia,

Caroq̄, nostra ducat in barathrum,

Regna Ditis horrida:

Adesto, nam potes iuuare, Christe.

Né ue legibus tuis,

Datoq̄, uiuendi modo, uoluntas

Corde cesset improbo:

Rogantibus, quam saepe polliceris,

Fidus adferas opem,

Tuoq̄, nostra praelia & labores

Ense uictor adiuues.

Ensem sacrati gratiam & fauorem

Scimus esse spiritus.

Sic agra mens & saucia, atq̄, mille

A tot hostibus dolis

Petita, non in tam graui duello

Deseretur, omnibus

Malis tuo fauore liberata.

ODA IX.

*Dicolos distrophos. Primus uersus heroicis hexa
c meter;*

meter, qui & Epicus dicitur: alter iambicus dime-
ter, qui & quaternarius. de quorum compositione,
secunda & tertia Oda dictum est.

-VV -- -VV -- -VV --
-- V- -- V-

Pro angelo custode, unicuique homini
attributo, gratiarum actio.

Christe, quot insultus hostis, quot saeva pe-
Custode abarces angelo: (ricla
Quem nobis uitaq; ducem, sociumq; salutis
Pio dedisti numine.

Quis mortalis enim tot retia nexa, suarum
Infirmate uirium

Effugeret, si non meliore adiutus opum ui,
Malum imminens euaderet?

Nam nulli sua tuta domus, fidiq; penates
Essent, & armis improbos

Muniti ac ferro nequicquam iremus in hostes,
Aut in manus grassantium,

Votaq; deprensi frustra faceremus in alto,
Nec herba morbos tolleret.

Tum seges agricolam fallaci luderet aruo,
Non uua funderet merum.

Nemo suam aspiceret, dulcissima pignora, prole,
Matris nec atam uiscere,

(Tanta sitis perdēdi hominē) nisi Christe fidele
Cunctis dedisses angelum.

Quo Lothus exitiū comite, immiffumq; Gomor
Vitauit imbrem sulphuris. (rha

Quo socio, Mèdum patris unica cura Tobias
Iter peregit inſcius.

Quo retinente, tremunt rabidi Daniela leones,
Subasq; ponunt horridas.

Quoq; tuente, meum non obruit aquoris unda
Caput, Metauri ad oſtium.

Atq; tot inſidijs cum corpora noſtra petantur,
Quæ mentibus quies erit?

Omnibus illud enim molitur uiribus hoſtis,
Vt deleat ueram fidem,

Extenuetq; Dei meritum, ſecuraq; reddat
Vita & ſalutis pectora.

Quod mea ſi centū reſonarēt plecetra Camænis,
Non machinas tot proderem,

Quot ſerus hoſtis agi, quibus & pia pectora
In grande compulit ſcelus. (quondam

Iſaides conſtansq; fide, princepsq; repertus
Amans Dei, gratus Deo,

Iſaideq; ſatus, quo nil ſapientius unquam
Sol orbe uidit igneo,

Atq; fidem cuius ſupra, fundamina templi
Chriſtus locauerat ſui,

Auſi omnes heu turpe nefas, conſtantiaq; aſtu
Vicſa eſt ſagacis demonis.

Gratus inexhauſta bonitatis munera, gratus

Agnosco corde supplici,
 Qui pateris raros inimici fraude perire,
 Tuam expetentes gratiam.
 Adjiciensq; duces, qui nos seruãdo gubernant,
 Cœlestis aula milites, (perbum
 Aspera cuncta domas, pedibusq; Acheronta sua
 Colentium te subycis.
 Da precor, ut tali assiduas pro munere grates
 Lingua omnis, omne cor sonet:
 Utq; eius, cura cuius nos subycis aqua,
 Velut clientes, angeli,
 Post opus exactum uita, socij, atq; perennis
 Ciues putemur patria.

O D A X.

Dicolos distrophos. Versus choriambici acatale
 Et. Primus Glyconius trimeter, alter Asclepiadeus
 tetrameter. ex quibus etiã generibus facta est Oda
 quarta, sed auctis strophis, & positu earũ inuerso.

-- -VV- UU

-- -VV- -VV- UU

Ad pellendam humanæ mentis igno-
 rantiam, ad deum Spiritum
 sanctum.

O Splendor Patris ignee,
 Cæcarumq; Deus lux bona mentium,
 Noctem Tanariam fuga, &
 Inflamma facibus pectora segnia.

Nil nos

Nil nos quàm tenebræ sumus :
 Nec ueram minimæ notitiam rei,
 Ni tu luce carentibus
 Præsis ingenijs, possumus assequi.
 Per te nouimus unicum,
 Qui cæli residet culmine principem.
 Per te, quod patre prodyt
 Verbum, teq, tuo numine conciti :
 Cuius forma licet nequit,
 Humanoq, modus pectore percipi,
 Cum Nato & patre comparem,
 Et trinum ueneramur fide, & unicum.
 Per te, cum uaga flectimus
 In terras iterum lumina, cernimus,
 Quòd nil cernimus : omnia,
 Errorum in tenebris, nocte recondita.
 Quare lampade flammea
 Letheæ placidus nubila disijce
 Noctis, purpurei tuis
 Splendorem reuocans solis amabilem.
 Ne spes lubrica uirium
 Nostrarum, specie decipiat boni,
 Incautos faciens pedes,
 A recta temerè uertere semita :
 Aut ne nos uetitam leuis
 Error cogat opem quærere nescios.
 Ut qui dandus honor Deo,

*Vt quæ pro meritis gloria filio,
Vni detur honos Deo,
Vni pro meritis gloria filio.*

O D A X I.

Monocolos tetraſtrophos. Verſus Aſclepiadæi
choriambici acatalecti; quorum compositio & nu-
meri proxima antecedente Oda, & ſuprà Oda quar-
ta ſunt demonſtrati.

-- -VV- -VV- VV

Pro meriti Chriſti illuſtratione &
propagatione.

Squallebat tenebris horrida triſtibus,
Incultoq; ſitu traditionibus
Deformata hominum, quo nituit prius,
Clarum perdiderat Relligio decus.
Non hic plura canam digna piaculo,
Quæ contra fidei dogmata Chriſtidos,
Auctorisq; Dei iuſſa patrauerat,
Ingratorum hominum perfida cecitas.
Vnum, unum ſatis eſt, & nimium graue,
Quòd noſtris meritis poſſe putauimus,
Quòd Chriſtus peperit uulnere plurimo,
Cæleſtem miſeri ſcandere patriam.
Hanc nubem Boreæ flatus amicior,
Inducta pepulit luce: nec ut uagis
Mortale in tenebris perpetuò genus
Erraret, luteæ neſcium originis.

Titan insolitas antè tenens uias,
 Arctoo exoritur pulchrior athere,
 Et cum Parrhasijs (sic placitum Deo)
 Stellis Oceano non caput occulit.
 Ut lux ista noua splendida gratia,
 Terrarum penitus per sola fulgeat,
 Praclaræq; necis sentiat, ultimo,
 Fructum, si quis adhuc axe reconditur.
 Per Christi meritum, perq; crucem datur “
 Cælum, uita, salus, & uenia, & fauor: “
 Firmis inq; fide, fonte simul sacro
 Purgatis, precij munere nullius.
 Cuius qui merito morteq; nititur,
 Et fosso sitiens de latere hauserit,
 Non fretus proprijs uiribus aut ope,
 Rectum solus iter tendit ad athera.
 Affixus licet & totus erit Deo,
 Et fructus fidei proferet uberes,
 Se seruum tamen hic dicet inutilem,
 Ingratumq; benigni officijs heri.
 Hos Christe ô animis sic tibi deditos,
 Utq; ad te referant omnia sedulos,
 Conserua miseris temporibus precor,
 Mansuetusq; tuo numine protege.
 Atq; illos, tenebras qui medium diem
 Dicunt, officij non memores tui,
 Illustra placido lumine gratia,
 Illorumq;

Illorumq̄ doma pectora ferrea.

Nosq̄ omnes, tua quos concilians patris

Iram, mors rapuit tartareo iugo,

Coniunctos simili fœdere, paceq̄,

Fac tecum superis uiuere sedibus.

OD A XII.

Dicolos distrophos. Versus primus heroicus hexa-
meter, secundus iambicus trimeter: de quib. actum
est in superioribus.

- UU - UU -- - UU - UU --
-- U- -- U- -- U-

Pro conseruatione concordia in
Ecclesia.

Qui regis imperio quicquid fuit atq̄ futu-
rum est,

Cælo soloq̄ Ecclesia sancta caput: (tis

Nos tua mēbra sumus per acerba uulnera mor

Facti, tuæq̄ Christe non pudet crucis.

Quanta sit, ipse uides, leuis inconstātia mentis,

A te parente qua optimo atq̄ maximo,

Quouis exagitata noto, deslectit, & auras

Captat fugaces, uana mundi nomina.

Ah quanta humanis caligo mentibus heret,

Caligo lucis spiritus egens sacri.

Quot secta, & uera pugnancia dogmata legi?

Quot indirempta factionum iurgia?

Quot fouea, et scrobib. calata tacentibus antra,

Et se.

Et semitarum torta sunt diuortia?

*Quiq̄ prius socijs pellebant uiribus hostem,
Quàm dira miscēt inuicem nunc praelia?*

*Christe tui populi memor, inuiolabile uerbum
Parentis, & rex, atq̄ uerus pontifex,*

*Eijce uendentes de templo sacra Simones,
Hostes tuos nostrosq̄ non placabiles.*

*Nec sine discordi lacerari quæso furore,
Coniuncta quæ suere sanctorum agmina.*

*Pontificemq̄ pium concede, piosq̄ ministros,
Qui te unicum monstrent Patris filium,*

*Quiq̄ sacro inuigilet uerbo, et se nomine dignos
Factis fideq̄ Christiano comprobent.*

*Ne lupus in miseros sic ullus sæuiat agnos,
Aprisq̄ detur dissipanda uinea. (ptos*

*Nos sumus, o bone Christe, tuo quos ipse redem
Dignatus es sacro lauare sanguine.*

*Nos sumus in toto grex contemptissimus orbe,
Quòd haret in te plena spes fiducia.*

*Nos sumus, admissi sceleris quos pœnitet, eheu
Nihil merentes, te rogantes gratiam.*

*Respice nos, propter tua tot promissa paternas,
Quæ nesciunt uerè inuocantes fallere.*

*Erige collapsi semiobruta mœnia templi,
Eius iacentes & ruinas excita.*

*Inuiolata tui perstent oracula uerbi,
Nomenq̄ puris prædicetur uocibus.*

*Vt sint unanimi concordēs fœdere cuncti,
 Vitentq̄ acerba Christianis iurgia.
 Tum qui sunt prauis (ut multi) errorib. acti,
 Cedant libenter ueritati cognita:
 Huic ut terrena, superæ quæ illius imago est,
 Sit una mens, uelut caput unum Ecclesiæ.*

O D A XIII.

Dicolos tetraſtrophos. Tres primi uerſus Sapphici hêdecasyllabi pentametri acatalecti, facti ex trochæo, spondeo, dactylo, trochæis duobus. Quartus Adonius pentasyllabus dimeter acatalectus, constat dactylo & spōdeo. Propter extremã syllabam priores etiã clauduntur spōdeo, hic annexus trochæo.

- u - - - u u - u - u
 - u - - - u u - u - u
 - u - - - u u - u - -
 - u u - -

Pro Ecclesia sustentanda, proq̄ bono
 & uigilante præside.

Colligit nubes uiolenta Cauri
 Vis, & humentes quatit Auster alas,
 Audit in uasto tumidum profundo
 Nauita murmur.

Cymbula heu quantum fragili timetur,
 Quæ tot insanis agitatur undis,
 Dum iacet ductor nimio grauatus
 Pectora somno.

*Quæ salus, quæ spes reliqua est quietis?
 Escæ num monstris dabimur marinis,
 Membraq; hærebunt in inhospitali
 Naufraga saxo?*

*At Deus nostri miseratus, istum
 Protinus tollas animo ueternum,
 Desq; rectorem dubijs peritum oc-
 Currere rebus.*

*Qui manu clauum teneat fideli,
 Quiq; nunquam amittat, ad alta magni
 Semper intentos oculos leuando
 Sidera cæli.*

*Vocibus cuius peramanter omnes
 Pareant, cuiusq; alacres & ultra
 Quæ tibi soli placeant iubentis,
 Iussa facessant.*

*Da precor cymbæ modò fluctuanti
 Hinc & hinc mites Zephyros, eosq;
 Qui serant casus uigilanter omnes
 Christe magistros.*

*Vt per hoc mundi mare, tuta portum
 Tangat optatum, uiridemq; uictricem
 Præferens palmam tibi, sempiterno
 Gaudeat auo.*

ODA XIII.

*Tricolos tetraſtrophos. Omnes sunt choriambi
 ci. Primi duo Aſclepiadci tetrametri, qualium est
 tota*

tota Oda undecima. Tertius Pherecratius dimeter
hypercatalectus, ex spondeo, & choriambo, & u-
nica syllaba communi. Quartus Glyconius trime-
ter, cuiusmodi est ultimus Odae quartæ, & primus
decimæ.

-- -UU- -UU- UU
 -- -UU- -UU- U-
 -- -UU- -
 -- -UU- UU

Pro ijs, quorum culpa malè audit, ex-
citata nuper Euangelicæ ueri-
tatis doctrina:

A Eternis odijs omnibus additus,
 Nomē siderei qui patris inuocant,
 Christum quiq; pudica
 Natum uirgine prædicant,
 Getulus ueluti circumiens leo,
 Aut sæta Armenijs ut fera montibus,
 Raptor cui sobolem ultra
 Hircanum mare uexerit.

Heu quanta trepidum sæuitia gregem
 Infestat, medijs funera tristia
 Campis horridus edens,
 Vdis sanguine rictibus.

Pastorumq; fidem iam magis aggredi,
 Ductoresq; gregis nititur, ut serox
 Fufis prædo magistris,
 Tuto carpere oues queat.

At qui

*At qui magnanimi robore pectoris
Vim diram prohibent, insidijs petit,
Donec retia capto
Ignara inijciat pedi.*

*Aufert illicita corda libidine,
Et prauis stimulans saepe furoribus,
Molli fractaq; luxu,
Non unum in facinus rapit.*

*Aut ardore aliquo non satiabili,
Magnarumq; fame sollicitans opum,
Vt ne parcere possint
Commisisis ouibus, facit.*

*Sic uersi in populi uiscera proprij,
Mites ante suis, cladibus impiè
Augent omnia magnis
Crudeles rabie noua.*

*Quin doctis etiam saepe probantibus,
Defendunt rigidi crimen, honestaq;
Turpi nomina culpa
Imponunt, sceleri scelus*

*Addentes miseri, multaq; millia
Auertunt hominum, quos pius antea
Totos ardor habebat
Verbum Christe sequi tuum.*

*Qui blandis oculis aspicias omnia,
Et sancto penetras abdita numine,
Instanti prece motus,*

Hoc auerte nefas Pater.

Ne nostris uitijs gloria nominis

Sit contempta tui, ne' ue calumnijs

Detur causa, sed omnes

Vno te celebrent sono.

Apportetq; sacris Thrax humilis fide

Aris, à tumido munera Bosphoro,

Sauis æquora qui nunc

Armis omnia territat.

ODA XV.

Dicolos distrophos. Primus uersus heroicus hexameter, de quo Oda secunda, nona, & duodecima.

Alter Archilochius dactylicus tetrameter acatale.

Ætus, ex quatuor ultimis heroici pedibus.

- UU - UU -- -- -UU --

-UU -- -UU --

Vt ad studia mortalium uaria pietatem Deus adiungat.

I*nnumeris studijs certatur, nec capit ullum
Cura hominum aut industria finem.
Viribus ingenij multi supra astra uolarunt,
Difficiles tolerando labores.*

Sunt qui diuitias alto mersere profundo,

Et terras adiere remotas:

Effosisq; oculis quidam (mirabile) dulci

Se priuarunt lumine solis.

Feruenti quis nescit adustos gymnosophistas

Pulueres,

Puluere, Caucasæisq; pruinis?
 Currit ad Antipodas, priscisq; incognita seclis
 Mercator uagus aspicit astra.
 Hic fodit immensis è terra sumptibus aurum,
 Recludens trucidis ostia Ditis.
 At alius sua rura colit, luxumq; perosus,
 De proprio uxorem grege uestit.
 Filius utq; ualens aliquando sit utilis ipsi,
 Ferre docet frigusq; famemq;
 Plurimus ut longo spectetur in agmine clausus,
 Tergeminos suspirat honores.
 Spargat ut hostiles effuso sanguine campos,
 Miles sponte pericula querit.
 Utq; procelloso moriatur in æquore nauta,
 Contemnit tellure morari.
 Sed qui terrenis cupiant æterna relictis,
 Et iusto pietatis amore
 Accensi, ad Christum referant, animaq; salutem,
 Quidquid agant, uix unus & alter.
 At tu summe parens omnem moderare laborem
 (Nam studijs sine talibus æuum
 Degere nemo potest) ut maxima cura placere
 Sit tibi: quæq; sequi altera debet,
 Auxilijs homini prodesse libenter egenti,
 Aerumnisq; leuare grauatum.
 Sic ferat unusquisq; operum uitæq; laborem,
 In diuinum ut cedat honorem.

- » Nam quicumq; lucrũ, uel laudẽ captat inanem,
 » Quiq; fugacia præmia querit,
 » Exiguo uerẽ gaudebit tempore: sed qui
 » Perpetua & cœlestia malit,
 » Ille animas inter sanctas, diuimq; senatum,
 » Aeterno ponetur honore.

ODA XVI.

Monocolos. Versus omnes sunt Archilochij iam-
 bici trimetri, ut in Oda tertia primus, in duodecima
 ultimus.

U - U - U - U - U - U -
 -- U - U - U - -- U -

Vt iuuet Deus concordiaẽ auctores, &
 tumultuantium conatus frangat.

O Pacis & concordiaẽ princeps Deus,
 Pacẽ relinquẽs, uictor Orci, cœlicas
 Cum scanderes triumpho nobili domos.
 En totus in dissensionibus diu
 Iactatus orbis concipit concordiam,
 Alitq; letis spem bonam in præcordijs,
 Discordiarum posse uentos comprimi,
 Reddiq; uexata quietẽ Ecclesia.
 Ecce autẽ Erinnyis, dulce pacis uinculum
 Rumpens, Mephiti scædat atroci omnia.
 Quid lente cessas ô Pater? quid amplius
 Quieta turbis concitantem plurimis,
 Pestem inspicias diram sereno lumine?

Puni caput nefandum, & aufer noxios
 Monstri ministros, iusta sparge fulmina.
 Ne glorientur, ne ue cristas erigant;
 Obstentq; sanctis impij conatibus.
 Fac nomini semper studentium tuo,
 Totoq; pacem corde flagitantium,
 O' Christe uincat te iubente auctoritas:
 Quod ut uelint optentq; tuncti, candida
 Immitte amorem cordibus concordia.
 Ac ueritati ne quis obstat cognita,
 Superba frange, dura molli pectora,
 Clarumq; cecis lumen adde mentibus.
 Te solum adorent; teq; solum predicent;
 Qua Phœbus Indos, quaq; Iberos prospici-
 Vno omnium uoces sono mortaliū, (cit,
 Pacisq; iuncti & caritatis fœdere,
 Se membra capitis esse monstrent unius.

ODA XVII.

Dicolos distrophos. Primus Archilochius iambi-
 cus trimeter, ut præcedētis Odæ uersus omnes. Se-
 cundus Sapphicus, qui conflatus ex pentemimeri da-
 ctylica, & iambico dimetro acatalecto, constans è
 duobus dactylis & syllaba longa, & è iambis qua-
 tuor, recepto loca per imparia spondeo.

-- u - -- u - -- u -
 =vv -vv - -- u - -- u -

Pro Carolo v. Augusto, in Africam
eunte, contra classis Turcicae
praefectum.

IN efferatam iusta Zelimi domum
Carolus arma mouet, solo fretusq; militans,
Potentiaq; nominis terret sui
Cinyphiumq; Iubam, ditemq; Bocchi regiam.
Quem rebus humanis serè labentibus,
Christe fouere tuo dignare nutu principem:
Ut Christiano contumelias gregi
Quas facit hostis atrox, manu potente uindictet,
Face atq; ferro Sulimanum persequens,
Totq; homines miseros intollerabilis graui
Ut eximat de seruitutis carcere.
Ac Mahometigenas, tua iuuante gratia,
Mites cruentis reddat ex lupis oues,
Ut fidem in orbe alio, nec gente priscis cognita,
Australibusq; subdita plagis, nouos
Inferat in populos: sententijsq; dissitas
Mentes amicam cogat in concordiam:
Oenotriaq; caput, doctrina & exëplo improbũ,
Et ueritatis & pudoris imperet,
More sequi ueterum, leges: & altam ponere
Damnatam in angelis Dei superbiam.
Mente petens Numidas illa, impiorum uindice,
Hoc inter hostes, inter aquoris minas
Christe

Christe tuere caput, fidumq; sicut Iosnam, &
 Dauida multis nobilem victorijs:
 Utq; Theodosium, cui pontus, ather, Africus
 Pugnabat: utq; illustre Pipini genus,
 Atq; duces alios, pro ueritate cognitos,
 Sacro foue, serua, guberna numine.
 Ut uelut orbis habet nil maius ipso Casare,
 Sic sanctius nil noscat & felicius,
 Cœlicolisq; nihil, summoq; gratius Deo.

ODA XVIII.

Dicolos tristrophos. Versus omnes sunt Ionici acd
 talecti puri. Primus & secundus Sapphici trime-
 tri, ex tribus Ionicis à minore. Tertius Alcmanius
 tetrameter, ex quatuor Ionicis à maiore.

UU-- UU-- UU--

UU-- UU-- UU-U

UU-- UU-- UU-- UU--

Pro instaurata nuper doctrina Euan-
 gelij, gratiarum actio.

Tibi laudes recinamus, tibi grates,
 Meritorum memores Christe tuorum,
 Quia noctis tenebras sole corusco pepulisti.
 Fera Germania duris prius armis
 Alijs à populis nescia uinci,
 Sua iam colla iugo præbuit, atq; obtulit ultro.
 Tua cum lux uenerandi sacra uerbi

Miscuisset, tenuem uisa per umbram,
Ab iniquis, diuturnis male suppressa tenebris.

Quis ad unum referebat bona Christum?
Quis ab uno rogabat bona Christo?
Sibi fingēs propriū quisq; deū, in uota uocabat.

Sacra uenalia, cælum ære patebat:
Meretricisq; cubili Papa surgens,
Sacrosanctas ueluti sus lutulenta ibat ad aras.

Tibi laudes recinamus, tibi grates
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia cæcis radians reddere lumen uoluisti.

Hominum friuola doctrina uigebat.
Grauidum scæmina uentrem positura,
Reperit cui faceret uota Dianam: rapit alter
Modò diuus tibi Neptune tridentem.

Neq; Castor neq; Pollux mare sistunt.
Grauis utq; ære domum dextra feratur, noua
poscit

Modò mercator opem numina: scæuus
Noua miles, quibus hastam det & arma.
Numerum terra nec illum, neq; cælū capiebat.

Sator autem maris, astrorum, & abyssi,
Quasi non ferre potens auxiliij uim,
Erat ignotus, & eius data laus est alienis.

Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,

Quia

Quia totum tua sparsit radios gratia in orbem.
 Subitò cum tua uox æthere ab alto,
 Lewis Euri penetrans, horridi & alus
 Aquilonis, glaciale fuit audita prope Arcton.
 Rapido flumine currens, rigat urbes,
 Rigat agros, superis gratus, & omne
 Memoradus pater Albis, cithara & uoce per
 auum.

Pia salue, pia flore, pia persta,
 Decus amplum exigua Leucoris ora,
 Tua regnis benefacta, et tua cælo merita aquas.
 Noua Christum paris hoc tempore Bethle,
 Noua Sarepta pium pascis Heliam,
 Studijs inclytâ magnis, renouato inclytâ uerbo.
 Tibi laudes recinamus, tibi grates,
 Meritorum memores Christe tuorum,
 Quia multorum animis est fidei lux patefacta..
 Tener infans placida dum ubera matris
 Trahit, aures sibi sanctis resonare
 Modulis sentit, & audit puer, innuptaq; uirgo,
 Sacra passim recini carmina uatum.
 Fora, uici, platea, templa, theatra,
 Variarum feriunt sidera dulcedine uocum.
 Pede pressans tumidas rusticus uuas,
 Et opimam subigens uomere terram, (mnos.
 Apud armenta, sato uirgine, pastor canit hy-
 d 3 Opero.

*Operosaq; studens nocte Minerua
Mulier, psalmifona uoce laborem
Minuendo, fruitur cœlo, animo elata beato.*

*Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia portæ Paradisi miseris rursus aperta.*

O D A XIX.

Dicolos distrophos. Primus uersus heroicus hexa meter: de quo quatuor locis antea, Oda secunda, nona, duodecima, quintadecima. Alter Archilochius, constans ex iambico dimetro acatalecto, & dactylica pentemimeri, planè inuersus cum partibus Sapphici Ode septimædecimæ. Hæc autem genera primi libri sunt Horatiana, nullo omisso, quo ipse in Carminibus utitur.

-UU -- -UU -- -UU --
-- U- -- U- -UU -UU -

Pro immensis & cotidianis Dei in
nos beneficijs, gratiarum
actio.

Quidquid ago, quocunq; animum uel lu-
mina flecto,

Quo cogitationibus mens penetrare potest,
Obstupeo attonitus, neq; dignas Christe tibi un-
quam

Grates queo pro maximis dicere muneribus,
Sive

Siue diem, noctisq; uices, anniq; meatus,
 Cælumq; stellatū, manus omnipotentis opus:
 Siue mare Aeolys subiectum cerno procellis,
 Vitaq; nautas prodigos tendere uela salo:
 Seu picta innumeris uiridantia floribus arua,
 Benigna quæ mortalib. dant alimēta, cibos:
 Omnia quæ nostros fecisti mitis in usus,
 Nō lingua laudes sufficit reddere nostra tibi.
 Nec uarias artes, uita ornamenta, tacebo,
 Humana multo mens quib. cultior esse solet.
 Cernere multarum causas atq; abdita rerum,
 Inconditumq; ex cōdito noscere posse Deum.
 Esse canes & equos, immansuetosq; dracones,
 Gratos amicis, particeps cū rationis homo,
 Tam ferus, ut nullo officio benefacta rependat,
 Quæ de Deo semper uelut fonte perēne fluūt.
 Aut quia nemo bonis ullam persolueret tantis
 Vicē potest, ut se imparē prædicet esse tamē,
 Atq; hac aut simili fateatur uoce, supremi
 Meritū parentis, supplici uersus ad astra ma
 nu.

Magne Pater, cuius sunt omnia, quo sine nun
 quam

Coma mouētur arborū, nec folia ulla cadūt:
 Quàm nihil humanis agnosco in uiribus esse,
 Et usq; me obrui tuis sentio muneribus.

*Cerno nec esse meum, ut tantum tibi gratus ha-
berī*

*Quæam, nec illud cerneret cor sine luce tua.
Si qua tamen (quæ nulla potest pro munere tan-
to*

*Unquã referri gratia) at si tamẽ ulla potest,
Hanc sine me quoque ferre tibi. sed quando nec
ora,*

*Nec mens id assequi tua pro pietate ualet :
Meq; animũq; tuo mihi tradita munere dona,
Addico & offero pijs ô Pater obsequijs.
Me rege, daq; animum docilem, ne labar in ul-
lum*

*Nefas, scelusq;. nam tui muneris omne bo-
num est.*

*Utq; mea Aegaas superant delicta procellas,
Aequantq; harena pulueres aquoris Iony :
Sic bonitas tua Christe super uolat ardua cœ-
los,*

*Certumq; non habet, nec est unquam habi-
tura modum.*

ODARVM LIBRI
primi Finis.

GEOR-

GEORGII FA-

BRICII CHEMNICENSIS

. Odarum liber secundus:

*AD DEVM OMNI-
potentem.*

ODA I.

Dicolos pentastrophos. Versus omnes trochaici. Priores quatuor Glyconij dimetri acatalecti, ex duobus trochæis, & totidem iambis, uel ultimo pyrrhichio. Quintus Ithyphallicus dimeter brachycatalectus, ex trochæis duobus, iambo, & syllaba. Septem primæ Ode huius libri Catullianæ sunt, quibus in Epigrammatis usus est.

- u - u - u - u u

- u - u - u - u u

- u - u - u - u u

- u - u - u - u -

- u - u - u - u

A' Dei bonitate omnia commoda
fluere mortalibus.



*Deo incipiens opus
Omne, desinat in Deum:
Nostra quo sine cernitur
Vis inanis, & irrita.*

Vnus omnia Christus.

d s Dux

Dux adit sera praelia

Frustra, ab hoste nisi Deus

Protegat: neq; copia,

Multitudoq; militum

Vincit oppida bello.

Pulsa tympana subruunt

Firma mœnia Hierichûs;

Rupta uasa fugant sono

Agmen innumerabile

Libero Gedeone.

Abscidit mulier caput

Olofernis, & in fugam

Castra conijcit hostium.

Rupit & ducis impij

Virgo tempora clauo.

” *Namq; difficile est Deo*

” *Nil fauente, nec arduum.*

Tu modo stabilis fide

Permane, neq; spem leuem

In caduca repone.

Clara quis numerauerit

Âstra? quis Lybia arida

Pulueres? quis Atlantico

Algam in aquore? quis tuos

Inde mollis odores?

Quis tua, precor, explicet

Christe

*Christe munera gratia?
 Quaeq; adesse solet p̄ys
 Vsq; prompta benignitas,
 Quis canat satis illam?*

Dantur omnia per Deum:

*A' Deo bona perpetim
 Fonte ut ubere defluunt.
 Nam suis homo uiribus
 Quid potest, sine Christo?*

Membra uulnere liuidus

*Ante qui Patris ora stans
 (O' amor) ueniam petit,
 Impetratq; fidelibus,
 Leniens Patris iram.*

Cæcus audet homo tamen,

*Quas decet minimè uias
 Quarere, & male uiribus
 Fesus ipse suis, sibi
 Mortis auctor acerba est.*

Hoc ueta, precor, horridas

*Mentis & tenebras tua
 Luce propitiis fuga.
 Nulla namq; homini, tibi
 Christe maxima uis est.*

ODA II.

*Monocolos. Versus Aristophanici iambici tetra-
 metri*

metri catalecti, facti ex iambis septem & semipe-
de, primo tamen & tertio & quinto locis admisso
spondeo.

-- v -- -- v -- -- v -- v --

Deploratio indignitatis suæ, & diuinæ
misericordiæ imploratio.

Quis corda torqueat dolor, quid impe-
trare supplex

Vox gestiat, nosti prius quàm linguam &
ora soluam:

Qui pectorum abditos sinus, & cordis ima
lustras.

En ante me pedes tuos prosterno Christe, no-
tum

Malum, & peractam turpiter uitam miser
retexens.

Accedo mentem saucius, fac integer rece-
dam.

Quàm multa per iocos puer lasciuiãq; feci,
Contra parentes, quiq; literas rudem doce-
bant.

Quàm multa, disciplina cum rigor metusq;
abesset,

Indigna moribus bonis & literis sequebar.
Accreuit atas, creuit & leuis cupido lau-
dis,

Dum.

*Dum nomen & fama decus uenor fugax:
tot olim*

*Dies locaui heu impiè, heu florem uirentis
aui,*

*Vitaq; tempus aureũ absumpsiq;, perdidig;
Nam perdidisse me puto, quodcumq; prædi-
candis*

*In laudibus nõ est tuis, et gratia per actum.
Obrepat atas, occidit sol, anni eunt uolucres,
Et relliqua uitæ tibi seruire parte cesso?*

Ignosce quidquid inscius sciensq; perpetravi:

*Ac quod uenenum, carulam draco notatus
aluum,*

*In uiscera intus condidit, fructum arboris
puella*

Elusa fraude dum metit, manu aliena fideli.

*Quodq; ipse crimẽ indies caco incitatus astu
Adiungo, tolle: nec sine irritas uolare uoces.*

*Tum spiritum para nouum, purosq; corde
sensus,*

In uineamq; mox tuam iube uenire Christe.

Fac in laboribus diu durem, usq; perferendo

*Quod munus iniuncturus es: seu me calen-
te Phæbo,*

*Plantas nouellas fluminis mandas rigare
lymphæ:*

Seu iungere ulmos uitibus, uel summa coniugare

Cacumina, & sylua uelut lasciuiã uirentis Ferro domare, inutiles ramos et amputare.

Vel quicquid est, quo proximum licet inuare, meq̃

Præbere gratum pro bonis manu datis benigna;

Vt præmiũ cum ceteris queam tui fauoris, Sedes beatas atq̃ regna aeterna possidere.

ODA III.

Monocolos. Versus Hipponactij iambici trimetri acatalecti scazontes, facti ex iambis, uel ex imparibus spondeis, ut trimetri Archilochij: sed seruantes loco ultimo spondeum, duobus iambis semper ipsum antecedentibus. Hoc genere uetustissimi quasi hostili telo contra aduersarios usi sunt.

-- u -- -- u -- u -- --

Vt in rebus aduersis, exemplo patriarcharum, prophetarum, apostolorum, excelso & inuictò animo simus.

A*T inter hostes & minas agit ferri
Intacta uirtus, nec cadente Orione
Pallet, Sicani prensa fluctibus saxi.
Ante ora spectat uincla, nec statu mentis*

Inter--

Interrita mouetur, aut iacet supplex.

Cacoq̄, clausa carcere, & nigro noctis

Astro resulget purior Dioneo.

Pragnans laborum, fortibus dat illustres

Viris triumphos : ac ferens decus palma,

Radice[m] amaram flore temperat leto.

Princeps tropaea rara ponit ignauus,

Homoq̄, nullo exercitus malo torpet.

Sudoris expers & periculi uirtus,

“

Nec à uiris, nec in triremibus famam

“

Meretur : at quod cum labore perfectū est,

“

Eius uiget perenne & inchyum nomen.

“

Quid non acerbi fortis ille luctator

Tulit Iacobus, tela dum fugit fratris,

Queritq̄, sedes anxius peregrinas.

Auunculiq̄, lustra bis duo seruus,

Fructum laboris saepe postulat frustra.

Dulcis necem Rachelis, orbitatemq̄

Cari Iosephi, mente qua putas hausit?

Qua' ue impetratam uinculis Symeonis

Nati minoris missionem in Aegyptum?

Nonne infideles Sichemis datas dextras,

Tot innocentes ense delitos? nonne

Dinam stupratā, & ingredi patris lectum

Ausum nefando Rubena improbum factō,

Aures seniles uulnerasse credendum est?

Aeno

*Aevo trementem uix gradum ferens, terra
Deo iubetur cedere è Palaestina.*

*Nec est minima passus Isai natus,
Qui bis petitus lancea, exijt telum,
Quiq; exul hosti credidit Gethao sc.
Saullem, Goliã, Abessolona, Agitophlum;
Sibam, Doegum, Nabalem, Geraiden,
Vnus tot hostes sustinens, & à plebe
Saxis petitus, à Gigante romphaa.
Quanto sacerdotum dolore percepit
Caedem? suorum quo tulit lucem planctu;
Grassante peste? quàm molesta nati mors
Fuit tenelli, tam dolendus incestus,
Cladesq; mox secuta turpis Ammonis:
Nec impio non plurimos dedit fletus
Abessoloni, neu ueniret ad cana
Latus senecta limen, extitit causa
Noui tumultus contumax Adonias.*

*Non ulla Clio Paule te satis cantet,
Non si tot ora soluat, quot trahit Cydnus
Claro lapillos alueo fugas ex his
Specta locis in illa, tam uagus nemo.
Specta pericla, nemo plura tellure
Tulit, mariq; quid? docendo quàm duri
Vicit molestias laboris in tota
Vita inquietus? carceres quis & uincla*

Canat

Canat per omnes orbis inde et hinc partes?
 Cadentium sunt sapius manus lassæ,
 Quàm lassæ Pauli tergæ, ferre pro Christo
 Plagas. nec illum saxcus potest imber,
 Nec impius Neronis ensis, à mentis
 Alia rigore flectere: ultro se præbens
 Accepit ictus, uultu & ore placato
 Flauî rigans cruore Tiberidis ripam.
 Resistere autem qui cupit, preces illi

Danda perennes, atq; alacriter mens est
 Leuanda ad astra. nempe dat Deus certam
 Victoriâ, tantum preces fide plena
 Pia serantur. Impetrat fides quod uult. c
 Hoc ô pater supreme, & ô Deus uerax,
 (Qui te colentes usq; ad inferos mittis,
 Ut eleues ad astra: quiq; castigas
 Bonos, thronis ut colles honoratis)
 Largire non mortale pectori donum,
 Veram fidem, constantiamq; uictricem:
 Et adde tantum quesumus tuis robur,
 Quantum tibi audent credere, ô Pater fide.
 Ut cuncta Christi aduersa per tui mortem
 Vincamus: atq; spiritu sacro ducti,
 Cursum beatam dirigamus ad uitam:

ODA IIII.

Monocolos. Versus Phrynichij Ionici Galliam.

c bici

bici tetrametri acatalecti, ex pæone tertio, epitritho secundo, pæone tertio, pæone quarto, uel proceleusmatico. Hoc genus apud ueteres Latinos semel tantum in Catullo legimus, & semel ex recentioribus in Hymnis utitur Marullus.

UU-U -U-- UU-U UUU-

Vt ille nobis illucescat dies, qua post mortem sempiterna cum Deo felicitate fruamur.

Quid in his iacere uinclis? quid in his fragilibus ac

Luteis dolere membris cupio? bona propria stolidè moratus, hoc prospiciens, iterum animam Decoratam honore, post mortem, alio incipere loco

Meliore uiuere? haud secius ac rosa Paphia Riuo resurgit horto, spoliata per hyemem Folijs, odoreq; ipso mihi dicere animus est Alacris cum Apostolo: Gestio, gestio posita Subito euolare mole: ardeo uisere patriam Alio loco paratam. quid enim est in hominibus Sceleris, doli, laboris uacuum? stabile quid est Perituro in orbe? nostris (miserum) quid operibus

Studysq; uanius? respice queso uigilias Sapientium uirorum, sola, sidera, maria

Pene-

Penetrantium ingeni Dadalei beneficio.

Miseros reuolue casus, sibi regna uel alias

Auidè expetentium res. reputa quoq; uarie

Nimis, atq; inanis aula strepitus, odia, dolos,

Tumidamq; purpuram. collige deniq; relique

*Sua damna iuncta uita. quot enim mala sobo-
les,*

Quot adultera uxor, & non sibi fida familia

Cruciat, laborq; ludit? neq; pellere patitur

Rabidam famem, nec ex pauperie eripere, quasi

*Adamante uincta colla. ut taceam innumera
alia,*

*Quibus hinc & hinc, ut in naufragio ratis, a-
gitur*

*Hominum caduca uita, & Zephyro dubia ma-
gis:*

Nihil ergo cum sit illis superum simile opibus,

Neq; maior ulla lux corporis atq; pia anima,

Nisi quam fide paramus, moriendo: cape Pater,

*Cape uota te rogantum, ac rege nos, mare per
hoc ut*

Bene nauigando, portum subeamus. ea modo

Veniat dies cito, qua leuis in sua rediens

*Cinis ipse membra, tandem atheriam patriam
habitet,*

Videatq; conditoris preciosa bona sui.

Monocolos. Versus sunt Phalæcij hendecasyllabi trimetri brachycatalecti, ex spondeo, dactylo, et trochæis tribus.

-- -U -U -U -U

De uera Christianorum felicitate, & ut
eam consequamur, precatio.

Summam quæ doceant salutis, hæc sunt,
Cunctis mente tenenda Christianis :

Veri cognitio Dei, suiq̄,
Nostræ debita, proximiq̄ cura,
Cor mundum, moderata lingua, castum
Os cum lumine, dextra liberalis,
Contenta exiguo suoq̄ uita,
Incorrupta fides, amorq̄ constans,
Mens non ebria rebus in secundis,
Nec depressa metu graui malorum,
Sed quam spes bona seruat, inq̄ rebus
In Christum facit omnibus tueri.

Hæc illa est sapientia ore summi

Patris tradita, filijq̄ uita.

Hanc nos ut teneamus & sequamur

Omnes, effice Christe, disciplinam :

In quam tot modo seuiunt Nerones,

Armati q̄ furore Iuliani.

Sed tu terribiles minas proteruis

Euris,

*Euris, Carpathijsq̄ da procellis.
Sic quando vituli aut ovis cruorem
Iam spargi placidis uetas in aris,
Nos uotis, precibusq̄, cantibusq̄,
Grati munera pectoris feremus.*

ODA VI.

Dicolos tetraſtrophos. Carminis genere conueniens cum prima huius libri Oda, una tantummodo ſtrophe detracta.

- u - u - u - u u
- u - u - u - u u
- u - u - u - u -
- u - u - u - u

*Vt in cogitationibus ſanctis cum
fide & constantia perſeue-
remus,*

C*uius auxilio malum
Omne uincimus, & iugum
Carnis excutimus graue,
Chriſte mitis adeſto.*

*Nam tuo ſine ſpiritu
Nulla lux animis ineſt,
Nec datur, niſi praelia
Te gerente, triumphus.*

*Sæpe propoſito in bono
Fixa mens, nec humi tenens*

More lumina bestia

Alta cogitat, atq;

Ipsa se sceleris ream

Odit, ac nimium dolet,

Non tuum minuisse se

Pœnitendo furorem.

Mox tamen uelut Africis

Prora Syrtibus incidens,

Est resistere inefficax

Fluctuantibus undis.

Pristinumq; relabitur.

Heu sui immemor in nefas:

Ac bonum ante oculos situm

Cæca noscere nescit.

Vnde tam glaciatur citò

Pectoris calor igneus?

Vnde mentibus ingruunt

Tam repenti tenebræ?

Scilicet grauis horridi

Causa nota mali, nec ex

Proprijs homo uiribus

Recta perficit unquam.

» *Omnis æthere gratia*

» *Per fidem datur, ac preces*

» *Ad Deum assiduas, pio*

» *Corde quas homo fundit.*

*Atq; cum placido uoces
 Ore nos bonus, & tuam
 Impigrè iubeas opem
 Christe pascere cunctos:*

*Ergo confugientibus
 Nunc ad auxilium tuum,
 In bonis stabilem precor
 Semper adyce mentem.*

*Nec sine in facinus trahi,
 Prona ah ah nimis in malum
 Corda, deq; statu bono
 Deici sathana astu.*

*Luceat pedibus meis
 Fax sacri bona spiritus,
 Et regens animum meum
 Integrum tibi seruet.*

*Vt statim fore pessulus
 Cedat, optime cum tuo
 Forte pectoris ostium
 Christe numine pulsas.*

O D A VII.

Monocolos. Versus Antispastici Angelici, ut Diomedes appellauit, acatalecti, ex epitrito quarto, uel ditrochæo, iambis duobus, trochæis duobus, amphibrachy uel bacchio constantes. Hoc genus in Catulianis est, atq; rarissimis.

— u — u — u — — u — u — u — u
 — — — u — u — u — — u — — u — —

Astantis baptismo pueri infan-
 tis, precatio.

T E rogo Pater, atq; te Nate, teq; ab utroq;
 Qui procedis, utriq; cōiūcte, spiritus alme
 (Namq; huic nunc puero, sacri qui renascitur
 unda

Baptismi, numeroq; cælestium sociatur,
 Nomen militiae sacrae dans, facillimus afflas,
 Et foveas triplici potestate nos Deus unus)
 Da rogo mihi, sapius mente uoluerè facti
 Verba fœderis, & fidē quam spopōdit amicus,
 Non ulla uiolare culpa, nec in uetita hostis
 Castra currere transfugā: nec bonumq; piūq;
 Linquentē Dominum, sequi sponte signa tyrāni,
 Vexillum aspiciēs crucis, fulgida acer ut arma
 Pugnando quatiam, & fide caritateq; speq;
 Firmus; non timide per hostes ruam truculētos.
 Ne tristēm metuam necē, aut quidquid usq; ma-
 lorum est,

Horrescā: ut rude doner, et ueste purus in alba,
 Quæ certet niue Sithonis, quaq; lacte recenti,
 Qualem fontis aqua renato induit mihi mystes,
 Cælestes adeam domos, atq; lucida regna,
 Et promam meritas Deo uoce perpete grates.

ODA VIII.

Monocolos tetraſtrophos. Verſus Anapaſtici di-
metri cataleſti, facti ex tribus anapaſtis, & ſylla-
ba communi: uel (ſi heroici dimenſionem ſequimur)
ex ſyllaba longa, uel duabus breuibus, daſtylo uel
ſpondeo, daſtylo, ſpondeo, qui pedes heptamimerini
heroicam efficiunt. Quæ nunc conſequentur gene-
ra, ad finem uſq; libri huius, ſunt Aurelij Prudentij,
qui primus ſuam lyram ad laudes Dei omnipotens
tis, & ſanctorum martyrum præconia adhibuit.

UU - UU - UU - -
- -UU -UU --
- -- -UU --
-UU -- UU - U

Sumentis corpus, & bibentis ſanguinem Domini, oratio.

SI corpora noſtra lauamus,
Gemmisq; ornamus & auro,
Cum ſplendida forſan amici
Domus eſt adeunda potentis :

Quo mentis honore, quibusq;
Ornatibus atq; paratu,
Epulas cœleſtibus iſtis
Venerandas cultus adibo?

Non ſum, Pater optime, dignus
Diuino corpore ueſci,

*Sacrumq; haurire cruorem,
Panem, & pia pocula uinum.*

*Qui quondam dulcia manna
Populis largitus Hebrais :
Qui dura ex rupe dedisti
Gratas sitientibus undas :*

*Sis nobis Christe, rogamus,
Tu potus & esca salutis :
Humanos sanguine delens,
Inopum miserate, reatus..*

*Da cor pietatis amore
Flagrans, peccato inimicum,
Sanctiq; & labe carentes
Veniant in pectora motus.*

*Ita mens mea diligit omnes,
Alijs seruire parata,
Pendens cruce sicut in alta
Indignam Christus amauit.*

*Absit tremor omnis & horror,
Si uultus fortè tyranni
Instet, iubeatq; tenaci
Rigidum decedere mente.*

*Hac qui per sacra fidemq;
Habitat penetralia cordis,
Meus est quoq; factus, & ille
Pars nostri corporis idem,*

*Quæ cum benefacta recordor,
 Mensq̄ inflammata coegit,
 Me corporis atq̄ cruoris
 Epulas gustare salubres:
 Te tempore laudibus omni
 Cantem, uenererq̄, colamq̄:
 Et per quam parta salus est,
 Mortem contempler acerbam.*

ODA IX.

Monocolos tetraſtrophos. Verſus Archilochij
 iambici dimetri acatalecti, de quorum compositio-
 ne libro primo ſatis dictum. Uſitati maxime ſunt in
 hÿmnis Eccleſiaſticis.

-- u- u- u-
 -- u- -- u-
 -- u- -- u-
 u- u- u- u-

Pro doctrinæ cœleſtis conſeruatione
 ne, & eius profitendæ con-
 ſtantia.

O *Chriſte, rector optime,
 Verbum Patris, fili Dei,
 Nunquam querelis ſupplicum,
 Pÿs q̄ ſurde uocibus:
 Quam protuliſti de ſinu
 Parentis, antè incognitam*

Doctrinam,

*Doctrinam, in hoc miserrimo
Tuere puram tempore.*

*Laudet tuum nomen quoq,
Ventura mox atas: gregem
Mortem in tuam salubribus
Aquis nouatum respice.*

*Vt es, tuæ caput mane
Tu sole Christe Ecclesia.
Qui de pependisti cruce,
Vnus salutis auctor es.*

*Cur hanc salutis semitam
Como & Lyao dedita
Turba obstruit? contraria
Christo. obtinens iam nomina.*

*Hæc mortuorum mortua
Peti probat suffragia.
Hæc sacra conculcans, tuum est
Furata templis poculum.*

*Prefert pudica coniugis
Hæc concubinarum oscula:
Et conditos Deo cibos
Aut uendit, aut sumi uetat.*

*En in tuis subsellijs
Quali renidet purpura?
Ecclesieq; pauperi
Donata deuorat bona.*

Hanc antè compta Herodias
 Ducit choream, cheu tuis
 (Vides id ipse, & sustines?)
 Monstrum ministris horridum.

ò Christe uenturi pie
 Iudex future seculi,
 Per te necem, per te tua
 Cuncti obsecramus uulnera:

Immitte nobis fortia
 Hos stare contra pectora,
 Et blanda posse subdola
 Venena lingue noscere.

Ne nos eorum terreant
 Voces, malum minantium:
 Neu lubrica aspici nimis
 Superba saltatrix trahat.

Hæc est enim, quæ callido
 Vultu capit sophistica,
 Chorosq; docta mobiles
 Se mille gyrat flexibus.

Tu solus heroas facis,
 Tu solus acres spiritus
 Das Christe. nam mortalis heu
 Nil audet imbecillitas.

Tu solus improbum lupum
 Arces pjs ouilibus.

*Tu solus ungue uulturis
Mitem columbam liberas.*

ODA X.

Monocolos. Versus Archilochij trochaici octo-
metri catalecti. Imparibus locis solum habent tro-
chæum, paribus uerò uel trochæum uel spondeum,
extremam syllabam abundantem communem.

= u - u - u - u - u - u - u -
= u - - - u - - - u - - - u -

Vt corruptum temporum statum emen-
det Deus, & in meliorem
reducatur.

T Ange plectrum Musa, carmen ut sone-
mus flebile,

*Vtq̄ lamentemur orbis iam senescētis mala.
Ecce Christus excitauit cœlitus diem suum,
Regna patris ut per orbis uniuersi circulum
Panderet, suaq̄ sparsum uoce cogeret gregē,
Quem sibi mūdi ante legit cōditi primordia.
Sed suæ (nefas) saluti quando pertinacius
Obstiterunt Christiana iactitantes nomina?
Qui sedent Apostolorum grandibus subsellijs,
In tenebris ambulantes, cateris lucē negant,
Et uelut Molossus ante mutus excubat fores.
Sic lupo ipsi saeuente, soluere ora nesciunt.
Pro Deo Deiq̄ uerbo uana dormientium*

Somnia

Somnia admiratur, atq; seruiunt uentri suo,
 Omniumq; diffluunt libidinum lasciuia,
 Membra Christi persequentes ensc, flammis,
 equore.

Noxijs eos sequuntur principes uestigijs,
 Qui uelut nepos Iesse, perditu luxu colunt
 Sidonis decam, & Segesta, teq; Thebarum
 patrem,

In popinis, in choreis, in ferarum saltibus
 Vera inesse existimantes pectorum solatia,
 De Deo nil cogitando, scepra qui rerum de-
 dit,

Quiq; credidit suorū uitam opesq; pauperū,
 Noluit tyrannos esse, sed parentes & duces.
 Disciplinam uulgus odit, atq; legum uincula
 Spernit, artibusq; uiuit deditū turpissimis.
 Impios amare cultus, & sequi idololatrias,
 In Deum cæli, impieq; dicere in Christi cru-
 cem,

Sabbathūq; polluisse, penè ludus factus est.
 Spreta caritas parentū, tincta cæde dextera:
 Et fides thori neglecta, cum dolis calumnia,
 Prauus omnis appetitus, heu merentur pra-
 mia.

Hac adhuc letus sereno Christe cernis lumine,
 Ne statim perdas, sed ut des pœnitētia locū.

Cum

Cum sit ergo munus illud proprium & dignum Deo,

*Esse saluos uelle cunctos, debitis ignoscere:
Flecte corda queso mitis omnium mortalium,
Ut tuo uerbo relictis pareant mendacis,
Nouerint ut se; suiq; dignitatem muneris,
Et Deum, uerè dolentes corde & ore mitigent.*

Ventre Ionas piscis atro fleuit, & precatus est:

Audiunt David Achasq; uerba se monentium,

Effugitq; mortem uterque: flexit & Ninus Deum.

Sint sacerdotes pijs, sint ueri amantes principes,

Et sequatur uulgus ipsos, iusta ne nos opprimat

Ira uindictæ superna. floreat regnum tuum;

Et reduc tibi placentē temporis leti statum,

Ut uocentur dura ferri priscum in aurum tempora.

ODA XI.

Monocolos. Versus Glyconij choriambici trimetri acatalecti, ex spondeo, choriambo, & iambo uel pyrrhichio, qualis est quartus Odae quartæ in lib. 1.

-- -uu- uu

Ne in

Ne in caduca intenti bona, uera &
immortalia perdamus:

F Elicem ter & amplius,
Qui cœlestia cogitat,
Nec mortale nimis sapit.
Nam dum uiuimus, atq; mens
Caco carcere clauditur,
Hac crates lutea impedit,
Ad cœlum, unde genus trahit;
Pura & libera ne uolet.
Vitæ cura fugacis; &
Ardor non licita appetens,
Et largæ studium rei,
Imis uisceribus latent.
Dumq; anni atq; dies eunt,
Momentis noua singulis
Incumbit scelerum cohors.
Dulces illecebras quoq;
Et uita uarios iocos,
Paupertas, dolor, & pavor,
Et mentis mala gaudia
Turbant: morbus, & orbitas,
Et durum crucians labor,
Carpunt uer breue corporis.
Quid prodest graue Lydij
Auri pondus, & arua si

f

Proscin-

Proscindant Calabri boues ?

Quid si Gadibus Africa

Adiungatur, odoraq;

Stillent arbore balsama ?

Liquer da ista nepotibus

Ingratis, neq; conferunt

Ad uita requiem: neq;

Mortis tela refringere,

Parcarumq; ualent colos.

Nudos prima uidet dies,

Nudos auferet ultima.

Nunquid Sauliadem fides

Texit ? num sapientia

Pulchrum Bersabea genus ?

Non laudata scientia,

Nec uirtus nece liberat.

Iussu uina patris fugit,

Recchabi domus inclyta :

Tandem ducere cogitur

Mortis pocula lurida.

„ *Omnes scilicet ibimus,*

„ *Certi de nece, de die*

„ *Incerti, tamen ibimus.*

Nam quo nascimur à die,

Ad mortem properamus, &

Cunctis scribitur una lex.

*Da Christe optime, maxime,
 Ut sic omnis agat caro
 Aevi tempora lubrici:
 Ne dum spem sequitur leuem,
 Amittat bona cœlitum.
 Nil nos abstrahat inscius,
 Aut fallat specie boni
 Incautos: animus quoq;
 Momentis putet omnibus,
 Quàm sit uita fugax, dies
 Mortali ut nimium breues.
 Et tu propitius, modo
 Vitri, quod cito frangitur,
 Custodi, rege, sustine.
 Nam nos progenies tua
 In uita sumus, & nece.*

ODA XII.

*Monocolos tetraſtrophos. Verſus Anacreontici
 iambici dimetri catalecti, ex iambo uel ſpōdeo, iam
 bis duobus, ſyllaba una communi.*

*U - U - U - U
 U - U - U - -
 - - U - U - U
 - - U - U - -*

*Vt in uia ueritatis, ſpiritu ſancto duce,
 maneamus & conſeruemur.*

Votis meis adesto,
 Qui conditum ante mundum,
 Chaos super profundum
 Vi numinis uolasti.
 Que sit Patris uoluntas,
 Quod certum iter salutis,
 Ex intimis medullis
 Mens scire concupiscit.
 Si rectus ambulauit,
 Et imperata feci,
 Ductum & tuum secutus,
 Veri quid apprehendi:
 Fac ardor augeatur
 Cælestis ille, ne' ue
 Vanescat auolantes
 Elatus in fauillas.
 Sin deuiando turpes
 Iui uias, & cheu
 Pro ueritate falsum
 Deceptus approbaui:
 Iter docendo rectum,
 Cor instrue atq; forma,
 Inscitiaq; tetras
 Procul fuga tenebras.

ODA XIII.

Tricolos tristrophos. Versus omnes sunt choriam
 bici

bici acatalecti. Primus Glyconius trimeter, secundus Asclepiadeus tetrameter, ex quibus libri primi Oda quarta constitit. Tertius Callimachus pentameter, ex spondeo, choriambis tribus, iambo uel pyrrhichio.

-- -UU- UU
 -- -UU- -UU- UU
 -- -UU- -UU- -UU- UU

Vt Deus pœnas de Turca sumens, exemplum gentibus statuatur iustitiæ atq; potentiæ suæ,

*I*am uox deficit, & suo
 Non lingua officio fungitur amplius,
 Torpent corda malis, & lacrymas dat dolor aridas,

Audi summe pater Deus,
Cui cœlum domus est, terraq; subiacet,
Cuius nemo manus innocuas uindictis effugit.

Tandem extolle oculos pios,
Vt cernas populi triste iugum tui:
Expergiscere, nec reliquias hostibus obijce.

Nam quantum Libya excitat
Ventus pulueris, en tot gladios Athos
Stringit, tot uolucres mittit equos, tot Rhodope
uiros.

Tellus mota tremit pedum

f 3 *Pulsu,*

*Pulsu, cornua nunc & litui strepunt,
Et Bellona facces in medios conycit igneas.*

*Luna fulget in agmine
Cornu, signa uolant Thracia lanceis,
Martemq; Ismarys dira manus mentibus in-
ferunt.*

*Dux ipse aeneus aeneum
Currum immanis agit, nec timet in Deum
Te nostrum absq; modo uerba furens impia di-
cere.*

*Hunc curru, Antiochum uelut
Deturba, & satia uisceribus canes,
Vtq; Eglona grauem praua ualida trāsige dexte-
ra:*

*Euxino pereat freto,
Vt Memphis pelago nigra perit rubro:
Aut castris tumidus sceminea nocte cadat ma-
nu.*

*Sic in frustra secetur, ut
Cultorum ipse ferus membra secat Dei,
Vt regem Helcanides dilaniat ferro Amalech-
tidem.*

*Huius, Sennacheribis ut,
Nocturnas gladio percute copias,
Ferrataq; rota tracta uis corpora transeant.*

Si cui parta fuga est salus,

Murorum

*Murorum intereat pressus ab aggere,
Vt seruata Syri conciderunt agmina principis.*

Aut si cui manus hostium

*Captiuo indiderit uincula, de iugo
Montis precipitetur, Seyri ut contigit accolis.*

Hostes nominis ut tui

*Diuinam trepident usq; potentiam,
Edoctiq; sciant qua mala des regibus impijs.*

Et ne quis tibi dedito

*Insultet populo, qui facit irrita
Nunquam uota, modo non dubio pectore flagit-*
tet.

ODA XIII.

*Monocolos tetraastrophos. Versus Alcmanij, qui
& Phalisci, dactylici trimetri hypercatalecti, ex
heptamimeri heroica, hoc est, dactylis tribus, & s'u
perflua syllaba communi.*

-VV -VV -VV -
-VV -VV -VV -
-VV -VV -VV -
-VV -VV -VV -

*Quòd amissum salutis & dignitatis gradū
Christus sua morte restituerit hu-
mano generi, gratiarum
actio.*

Quis tua muner'a magne Pater
Dicere? quis numerare queat
f 4 Crimina

Crimina nostra, Acherontiaco
 Flumine digna, Stygisq; lacu?
 Qua bona primus habebat Adam
 Culta tenens, dominusq; loci
 Pomiferentis, & imperio
 Cuncta regens animata suo?
 Sed subito deus esse cupit,
 Heu mihi, quod fuit antè lutum.
 Noscere uult bona, uultq; mala,
 Flere, queri, lacrymare, mori.
 Parce precor scelerare manus,
 Pectore nec nimis alta sapi:
 Omnis enim, nisi iussa facis,
 Posteritas tua facta luet.
 Cur agitas noua consilia?
 Ecce superbia tollet enim
 Hæc ea, quæ tibi, quæq; tua
 Dat bona, candida simplicitas.
 Antè soli dominator eras:
 Si sitis, aut erat orta fames,
 Ambrosiam tibi Sylua dabat,
 Dulceq; nectar habebat aqua.
 Mox tamen exul, egenus, inops
 Quarere cogeris orbe casam:
 Graminaq; & frutices minuens,
 Exiguo coquis igne cibum.

*Dumq̄ in agris alimenta paras,
Sæpe per arida membra madens
Sudor ijt : neq̄ cura die
Desuit, aut tibi nocte dolor.*

*Quæ socio cubat Eua thoro,
Arbore noxia mala tulit.
Sollicitat tua corda Cain,
Acer ad arma cruenta puer.*

*Fonte aliquo uelut unda fluit,
Crescit & amne subinde nouo:
Sic homini tua culpa fuit
Causa mali, scelerumq̄ mare.*

*Hæc supera Pater arce uidens,
Semini in genus ætherei
Non tulit imi Acherontis herum
Sceptra tenere superba diu,*

*Seq̄, satum, similemq̄ Deo
Corpore uestit, & esse iubet
Verbum hominem, bone Christe tuis
Omnia subijciens pedibus.*

*Cum trabe celsus in arborea,
Atq̄ latrone tenente latus,
Crimina nostra cruore piæ,
Altaq̄ pandis ad astra uiam.*

*Ecce patet Paradisiacum,
Culpa quod antè serarat, iter :*

*Iam nemus illud adire licet,
Quod draco sæuus ademit Adæ.*

*Nunc coluber tibi uicte caput
Virginis atterit ille puer,
Stirpe creatus ab Isacida,
Rex populi dominusq; sui.
Pallida mors iacet ante pedes,
Tartara cum Phlegethonte gemunt:
Mitior est grauis ira Patris,
Imperium in cruce Christus habet.*

*Hæc mihi quis superata neget,
Nam minimè uelut antè ferunt
Exitium : quia Chrifte tuo
Noxia sunt minus auspicio,
Corpore dum mihi sensus inest,
Te mea uox sine fine canat :
Seu nequit eruta lingua loqui,
Cor tamen hæc benefacta sonet.*

O D A X V.

Dicolos distrophos. Primus uersus Archilochius mixtus ex Bucolico tetrametro, & trochaico dimetro brachycatalecto, qualis primus libri primi Oda prima. Alter Hipponactius iambicus, cuius generis etiam ultimus Oda octauæ libri eiusdem.

-VV -VV -- -VV -V -V -V
-- V- -- V- V- V

Vt amicorum merita, quibus pares esse
 ipsi non possumus, in cœlis re-
 ponat Deus.

Christe parens aperi præcordia clausa,
 mentiumq̄,

Fores tenebris horridis opertas.

Vt bene qui faciant, & qui bene consulant, a-
 micos

Noscam, malorum in tam frequente turba.
 Sæpe quod esse putas fidū, tacitè nocet, latentq̄,

Sub flore Hymetti Colchidis liquores.

Hoc in amicitijs contingere, vita nostra testis,

Periculisq̄ scimus cruditi.

Da precor ut fugiam, qui sunt fugiendi, & im-
 piorum

Ne miscear gregi, insciensq̄, peccem.

Da quoq̄, qui memores fecere sui, merendo pul-
 chrè,

Colam perenni amemq̄ caritate.

Qui sua consilia in rebus mihi fida turbulentis

Impertiere candidi, nec unquam

Deseruere malis pressum, neque sunt manere
 passi

Errore in ullo mentis atq̄, morum.

Qui tenerum monuerunt, quiq̄ ferocia tumen-
 tes

Fregere

Fregere stulti pectoris calores.

*Quasq; uices nequeo persolvere tam pijs amicis,
Tu Christe celsi redde in arce cœli.*

ODA XVI.

Monocolos tetraastrophos. Versus sunt Alcmanij, uel (ut alij annotarunt) Alcaici dactylici acata lecti, facti ex pentemimeri iambica, dactylis duobus, uel propter extremam syllabam communem, ultimo cretico.

-- u- - -uu -uu
-- u- - -uu -uu
-- u- - -uu -u-
-- u- - -uu -u-

Impositam unicuiq; afflictionem aliquam, eamq; ut forti & magno animo feramus.

Non ulla sic est certa serenitas,
Quam non procellosi inter eant dies:
Sic parte ab omni nemo beatus est,
Qui non malorum uento aliquo ingemat.
Supremi enim quam progenies Dei
Tergo innocenti sustinuit crucem:
Hanc ille eandem, pondere non tamen
Aequali, amicis imposuit suis.
Prudens ut auri uim probat artifex,
Fornace quando imponit, & ignibus:

Sic

*Sic quos paterno pectore diligit,
Purgat, malorumq; igne probat Deus.*

*Non sic Auerno proxima littori
Ora ardet, aut sic oppositum inclyta
Sirenis urbi Vesuvij caput,
Ambobus aut his Aetna furentior:*

*Nostris ut ardent uisceribus, dolor,
Curae sequaces, & trepidus metus,
Non obsequentes liberi, & improba
Coniunx, amicorumq; fides leuis.*

*Tum quando morbis corpora languidis
Torquemur, & rerum barathrū omnium
Venter laborat, uixq; humili sinit
Vitam enecatam efflare domuncula.*

*Quid damnum honestatis memorem graue,
Raptos honores, exilium, fugas,
Armisq; adempta hostilibus omnia?
Quid seruitutis uincula ferrea?*

*Hæc præter, in nos fulmina cælitus
Pugnant, procacesq; æquoribus noti,
Seuæq; syluis membra trahunt fera,
Imumq; motu concutitur solum.*

*His ad probandas uteris ignibus
Mentes tuorum, ut cognita plurimis
Virtus malis, & sub cruce stans tua,
Lumen coruscum clarius efferat.*

Maiora nostris sed Pater optime

Non pone quæso pondera uiribus :

Aut si quod incumbit grauius malum,

Clemens paterno præsidio alleua.

Si stant tui immortalia filij

Promissa nobis : at prius in chaos

Orbis redibit, quàm leuem in æra

Cælestis oris uox fluat irrita.

ODA XVII.

Dicolos distrophos. Versus iambici catalecti. Pri-
mus Hipponactius trimeter, secundus Euripideus di-
meter, ex puris iambis compositi.

u - u - u - u - u - u
u - u - u - u

Quid à Deo auctor petat, quid' ue
petendum censeat.

Quid arua sunt Calabria seracis,
Quid Hybla, quid' ue Hymettus?
Quid est Eoa concha, quid Sabai
Odora uirga thuris?

Quid aureas agens Iberus undas?

Quid est Phrahatis aula?

Vt à Deo ista flagitem rogando,

Et impleam astra uotis?

Agrum metas, cui Deus metendum

Dedit, legasq₂ mella.

Ad

*Ad Herculis lucrum petens columnas,
Solo mariq̄ curras,
Vt ambules decorus ostro & auro,
Manu ut potente sceptrum
Geras, bibasq̄ gemmeis Lyaum,
Age inquietus auum.
Sit innocens mihi, latensq̄ uita,
Doli inscia & timoris,
Beata copijs suis, honestè
Et absq̄ fraude partis.
Ac ut laboribus queam, datisq̄
Negocijs præesse,
Lues molesta, corporisq̄ longi
Eant procul dolores.
Quies mea modusq̄ sit senecta,
Laris domus paterni:
Amicus inde sit fidelis unus
Et alter, in secunda
Malaq̄ re, status leuamen omnis.
Niue albicante fronte,
Fruar laboribus meis, iuuentam
Videns bene institutam.
Serena stella fulgeat, supremum
Diem uehente fato,
Vt expeditus hinc eam, inq̄ Christo
Necis seuera uincam.*

*Hoc in fideꝝ, speꝝ supplicanti**Pater benigne prabe:**Et imperita mens; uetante carne,**Nequit quod intueri,**Hoc adde sponte. nam tui, quod usquam est,**Fauoris, omne munus.*

ODARVM LIBRI
secundi Finis.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS
 Odarum liber tertius:

AD DEVM OMNI-
 potentem.

ODA I.

Dicolos tetraſtrophos. Primi duo uerſus Alcaicꝝ
 choriambici acatalecti, ex iambo, bacchio, cho-
 riambo, iambo uel pyrrhichio. Poſtremi duo Phe-
 recratij heroici trimetri hypercatalecti, ex hepta-
 mimeri heroica, hoc eſt, ex tribus pedibus hexame-
 tri, & ſemipede. Quæ ſequuntur genera, Boethij
 ſunt, & aliorum.

U - U - - - UU - U -
 U - U - - - UU - UU
 - - - - UU - -
 - - - - UU - U

Præcibus à Deo per Christum omnia impetrari.



Aturus aris munera, seu preces,

*Et ante summi stans oculos Dei;
 Mox quidquid fellis amaro*

Circumfers pectore, pone.

Tibi ne speras, ac præcibus tuis

Deum futurum propitium, aut bonum;

Si nunquam crimina lapsa &

Erranti sponte remittis?

Remittis autem, tum potes ad Deum

Adire liber: non is in acra

Disperget uota, sed aurem

Utro inclinabit apertam.

Nec hæsites hic, si minus esse te

Videbis aptum. non ea dignitas

In nobis rite rogandi,

Sed cælo mittitur alto.

At ille rerum conditor omnium,

Et inferorum cum superis potens;

Qui solus damnat, & unus

Rectis dat præmia factis.

Imago cuius, uirginis in sinu

Quieuit, & terras coluit caro,

Qui per spirabile numen

Se diues fundit in omnes :

Preces repellit, quas uacuus fide,

Et hæsitanti pectore murmurat,

Tum festis dona nocentum

Iratus submouet aris.

Pete ergo fortis : quidquid enim petes,

Id impetrabis nomine Fily,

Qui culpam ante ora Parentis

Humanam morte refutat.

Hic ille enim, qui sponte uocat Deus,

Trahitq; dictis dulcibus : obuijs,

Qui non dubitanter adorant,

Nullos non excipit ulnis.

Domo quis arcet Lamechidi necem,

In obruti iam fluctibus orbis ? &

Pelusi rege sequente,

Quis Mosen seruat ab undis ?

Quibus Philista uiribus occidunt,

Bis irrigantes sanguine puluerem ?

Quos uomer, malaq; fregit

Tardè incedentis aselli.

Preces tonantem conciliant Deum,

Leuantq;

*Leuantq̄, pœna pro merita malum,
Auertunt bella, famemq̄,
Et pestem dira minantem.*

Piè gementem de Babylonio

*Preces Manasssem carcere liberant :
Et regi triste querenti
Producunt tempora uite.*

*Quòd imminentis barbara Turcica
Repellimus iam tela tyrannidis,
Paucorum nocte dieq̄,
Euincunt uota bonorum.*

Pater tuum per maxime filium

*Adesto nobis : cordibus utq̄ tè;
Non lingua atq̄, ore rogemus
Tantum, ò mitissime præsta.*

Repelle præsentis mala temporis,

*Vel illa, commotus prece, mitiga;
Mentisq̄ ostende paterna
In iusto signa furore.*

O D A I I.

Dicolos distrophos. Primus uersus heroicis hexameter, satis ex superioribus notus. Alter Alcmanicus dactylicus acatalectus, ex tetrametro Bucolico, ad dactylos admittens omnibus in locis spondeum indistincte. Constat autem ex initialibus quatuor pedibus hexametri: ut ex finalibus, qui mox sequentur in Oda quarta.

--VV -- -- --VV --
 -- --VV --VV --VV

Ad tollendam pectorum humanorum
 de promissis diuinis dubi-
 tationem.

Qui cupit optatas latus decerpere mes-
 ses,

Et distendere frugibus horrea:

Ille rubos, sterilesq; extirpat falcibus herbas,

Alituumq; greges fugat improbos.

Qui uult ad cœli superas se attollere sedes,

Cumq; Deo pia uerba loqui cupit:

Abijciat pauida quacunq; obstacula menti

Horror peccati incutit, aut pudor:

Accedatq; fide plenus, precibusq; fatiget

Nunquam polliciti immemorem Deum.

Cuius promissis alacres, & uoce uocati,

Pectora iam nunc libera soluimus.

O Pater, & patrio ueniens spiramen ab ore,

Compar cum Christo, & Dēus unice:

Nempe Deo genitus Deus, atq; ab utroq; coru-

scans,

Verum intus speculum, & speculū foris.

Excute de fragili lethæas corde tenebras,

Et caliganti da pectori

Lumen, ut instabiles confirmes numine sensus,

Crimes

Crimen & exitiabile comprimis.

Namque ferè hærentes incredula turba uagamur,

Acta ut pluma uolat noto,

Dumq̄ tibi timidè confidimus (ô scelus ingens)

Mendacem arguimus uocem tuam:

Qua tu proposistiq̄ tenax, uerusq̄, bonusq̄,

Et pulsare iubes, & poscere,

Nec finis orantes ullam à te ferre repulsam,

Opponisq̄ adeuntibus obicem.

Quòd si etiam capiant genitricem obliuia nati,

Quem tenerum uentre atq̄ sinu tulit:

Tu tamen excipies desertum, ulnisq̄ fouebis,

Non fallax spes rebus in ultimis.

Testis Niliacæ partus miser ille puella,

Quem pellit Sara dura penatibus.

Et dubitamus adhuc te uelle audire querentes,

Quorum uota intelligis antè, quàm

Formet lingua sonum, tenuesq̄ ferantur in au-

ras

Compressi suspiria pectoris.

Terrores quantos uideri illetabile bellum,

Et discordia flebilis inferant.

Pugnat ab aurora Thrax impius, instat ab au-

stro

Corporibusq̄ animisq̄ ferox malum.

In nostrisq̄ habitant non pauci mœnibus hostes:

Hostes Christe tui quoq̄ sanguinis.

Quid tamen ira canum possit, rabiesq̄ luporum,

Quid fraus illa domestica uulpium

Te contra? quem terra tremit, cœliq̄ uerentur,

Quem metuit uis horrida Tartari:

Qui nobis Deus es, placidas qui uocibus aures

Præbes, inq̄, sinu patrio geris:

Hostibus at nostris hostis, quos ignibus Orci,

Atq̄ inimico perdes fulmine.

Talia facta breui cernent, tantosq̄ triumphos,

Qui toto credunt animo tibi.

Qui uerò dubitant, & semper mentibus errant,

Dextra illos tua corripiet simul:

In quorum numero ne simus, perface Christe,

Accensam inq̄, tuis auge fidem.

ODA III.

Monocolos tetra-strophos. Versus trochaici Ithyphallici dimetri brachycatalecti, ex tribus trochæis, admissio in ultimum locum spondeo.

- u - u - u

- u - u - -

- u - u - u

- u - u - -

H *Ve ades supremi
Filius Tonantis,
Virginisq; partus
Vnicus puella.*

*Vota nostra ab imo
Corde mitis audi:
Ac tibi, benignus
Esto, supplicanti.*

*Da tibi salutem,
Corpus atq; uitam,
Quidquid & mearum
Est opum, omne credam.*

*Ne cor inquietos
Sentiat tumultus,
Neu bono quid intus
Pugnet instituto.*

*Cur fides repente,
Ut repressus ignis
Thetide atq; fumo, ex-
tinguitur medullis?*

*Tolle Christe mentis
Tolle nigricantis
Spiritu sacro
Mobiles tenebras.*

Nil enim miselli

Proprium tenemus.

Cuncta sunt superna

Dona largitatis.

Ergo siue serues

Illa, siue tollas,

Da tui canamus

Carmen hoc Iobi.

Si Deo tributo

Si bono exilimus:

Quod uenit de eodem,

Cur malum timemus?

Nudus exiebam

De parentis aluo:

Omnibusq; liber,

Nudus hinc abibo.

Quæ Deus dediſti,

Vt placet, quoq; aufers.

Tempus omne nomen

Sit Dei celebre.

ODA IIII.

Monocolos. Versus Archilochij tetrametri acatalekti, ex quatuor finalibus heroici pedibus, qualis est Epodicus libri primi, Oda quintadecima.

-UU -UU -UU --

-- -- -UU -U

Ad

Ad Deum creatorem, liberatorem, sanctificatorem, gratiarum actio.

Conditor ô Pater inclyte rerum,
 Cæli ponens carula templa,
 Littore pontum, flumina ripis
 Includens sermone, diemq̃,
 Puro illustrans lumine solis,
 Candidaq̃, addens cornua luna.
 Qui rationis munere donas
 Factum hominem, quiq̃, omne creatum
 Terra subycis, inq̃, supernos
 Aetheris efficis ire meatus.
 Qui terrarum regna gubernas
 Legibus, idem sede tyrannos
 Deturbas, ouiumq̃, magistro
 Das gestandam fronte tyaram.
 Hæc tu nulli incognita præstas,
 Vt te noscat mundus, ametq̃;
 Et tibi iustas, quidquid ubiq̃, est,
 Laudes grato concinat ore.

Nec contentus munere tanto,
 Tu folio quoq̃, mitis ab alto,
 Humanos miserate labores,
 Non mortalem funera natum.
 Ferre iubes mortalia Christum.

*Sic ut serpens ancus olim
 Afflictis erectus Hebrais,
 Intuitu calidum leuat hunc,
 Amissa medicina salutis:
 Haud secus alto stipite pendens,
 Morbos aufert Christus, & inter
 Pignus nunc hominesq; Deumq;
 Ad dextram super astra locatus
 Aeterni patris: inde benignus
 Iam patronus suscipit ultro
 Oppressorum iura clientum,
 Et spondet fidentibus ipse
 Perpetuae solatia uitae.*

Hac per sacri numina flatus

*Fida in nostris dicta medullis
 Inflammas, quae non sinit ipse
 In pelagus uel in aera ferri.
 Sed nos prauos, inq; fideles,
 Intus primo format ab ungue,
 Ut nebula & caligine pulsa,
 (Quae nostras heu plurima mentes
 Caco errorum tramite uersat)
 Luce noua replet pia corda, &
 Verè ardentes suscitet ignes:
 Quos non Ponti totius unda
 Extinguant, non ulla uirum uis,*

*Non pluuio domet Aeolus austro.
Hac nos grati amplectimur omnes
Munera. nostra est solus & unus,
Cum Patre, cum Spiramine sancto,
Cui decus & laus, gloria Christus.*

. O D A V.

Monocolos distrophos. Primus uersus Asclepia
deus choriambicus, qualium est libri primi Oda un
decima. Alter Archilochius iambicus, cuiusmodi
plures reperiuntur libro primo, & in secundo tota
Oda nona.

-- -VV- -VV- VV
-- V- -- V-

Vt Deus pro beneficijs conseruationis
cotidie sibi nos esse gratio-
res faciat.

Quem tu propitio lumine uideris,
Cælestis ô proles Patris,
Illi non pharetris spicula Gnosijs
Inerme ruperint latus:
Non hostis patria mœnia diruens,
Manum cathenis uinciet:
Non uastans hominum, non pecorum genus
Luesprehendet tabida.
Ac quamuis Libyco nauiget aquare,
Euris ratem frangentibus,

*Aut septus ualidis mille latronibus,
 Trucem stet ante Decium:
 Exoptata laris tecta tamen sui
 Illesus intuebitur,
 Iucunda referens oscula coniugi, &
 Desideratis liberis.
 Nos autem auxilio iam toties tuo
 Modis leuati plurimis,
 Festo flore comas impediemus, &
 Ponemus aris munera.
 Sed centum capitum non cadet hostia,
 Tingetq; cultros sanguine:
 Aut qua munera Arabs miserit, aut Syrus,
 Auri atq; balsami feret.
 Offerit en humiles Melpomene preces,
 Sonumq; parui carminis.
 Quòd si forte choros inter amabiles
 Vatum piorum me locas,
 Cultus Christe nouis semper honoribus,
 Cantus suaues audies,
 Odis inq; meis nomen erit tuum,
 Cunctis notatum paginis.
 „ Quamuis nullius est laudis egens Deus,
 „ Mentem tamen gratam approbat.*

ODA VI.

Monocolos tetraastrophos. Versus Archilochij
 dactylicè

*dactylici dimetri hypercatalecti, ex pentemimeri
heroica, duobus scilicet dactylis, & syllaba abundante.*

- UU - UU -
- UU - UU -
- UU - UU -
- UU - UU U

Pro uictoria aduersus perpetuum hu-
mani generis hostem.

Qui super arce poli,
Summaq; & ima regis,
Quem tremat aula ducis
Horrida Tenarij:

Da pater alme precor,
Vincere cuncta mala,
Pectore qua uario
Callidus hostis habet.

Cui tua progenies,
Quam malus ille suis
Ausus adire dolis,
Restitit, acta fame.

Non erat illa fames
Panis, & ore sacro
Verus homo atq; Deus
Non sitiebat aquas.

Nostra erat illa salus,

*Crimine patris Adæ
Proditæ, quam miseris
Reddere iussus erat.*

*Hic hominum stimulis
Acribus egit amor,
In trabe sancta potens
Figere membra Dei.*

*Ergo per illa precor
Vulnera, perq̄ crucem
Christe, tuumq̄ minax
Quod fodit hasta latus,
Sanguinis unde rubri,
Et salientis aquæ,
Crimina nostra lauans,
Fons preciosus yt.*

*Te duce vincat homo,
Ne ferus hostis oues,
Inijciatq̄ gregi
Vincula dura tuo :*

*Libera de luteo
Carcere, mens ut eat
Ad pia cœlicolũm
Gaudia spirituum.*

ODA VII.

Monocolos. Versus sunt Aristophanici hexame
tri heroici miuri, uel luxati, secundo & quinto loco
prater

præter usitatam compositionem, solum habentes da-
 Etylum: primo, tertio, quarto, uel spondeum, uel da-
 Etylum, uel trochæum: sexto spondeum uel trochæ-
 um. Legitur inter iocosa Epigrammata, quæ licet
 Virgilio soli ascribuntur, tamen neq; illius sunt, ne-
 que unius tantum scriptoris.

- u - uu - uu - u - uu --
 -- - uu -- - uu - uu - u

Vt integram, tranquillam, illabefacta-
 tam Deus conseruet Ec-
 clesiam.

Splendcant trabibus Libani, Africaq; co-
 lumnis,

Attaliq; opibus tecta alta, & Achaemenis
 auro:

Sit solum Phrygio de marmore, Callaicoq;
 stent postes solide ferro, chalybumq; rigore:
 Quæ stupent leuibus mortalia lumina cau-
 sis.

At mihi tua Christe domus paupercula,
 nuda

Veritate nitens, fucosq; carente pudore,
 Cuius ardua habet Pietas, & iuncta sorori
 Iustitia, & Fidei locamine nititur immun,
 Vastas mole trabes uidetur uincere regum.
 Hac enim sonat usq; tui uox inclyta uerbi,

Nominiq;

Nominiq̄ tuo laudes canuntur, & hymni.
 Impetramus ea pacem, serenaq̄ cœli,
 Et solo pluuias, & mites aquore uentos.
 Heu quot illa tamen quondam lacerata ty-
 rannis,

Et laceratur adhuc: hyana Romula toruumi
 Ringitur, exacuitq̄ feras draco Bárbarus
 iras.

Nec satis fuit hoc malorum, plurima uul-
 pes,

Ditis egrediens cauea, noua dogmata fingit;
 Munita insidyis, & docta neçtere fraudes,
 Ac superba animis, cœtuq̄ immixta bono-
 rum,

Distrahit socias, successu leta, cateruas.

O Pater, uiden' ut tumidis circumdatur undis;
 Ad te per mediam fugiens Ecclesia Mem-
 phim?

Tergo instat, socio coniuncta hyana draco-
 ne,

Dura Paratonio minantes plura tyranno.
 Tum premunt latera, hinc erecta ad carula
 cœli,

Montis instar aquæ, Notus contrarius illinc.
 Tu per unigenam nos cœlitus aspice natum,
 Cuius ista domus nomen crucemq̄ fatetur.

*Sis tuis placidus, pacemq̄ ante omnia, pa-
cem*

*Præsta, & horrifonas depelle Aquilone
procellas.*

*Luminum uarios amittat hyæna colores,
Et tuis teneat uocem nimis insidiantem:*

*Caca & muta suas non seruet amplius ar-
tes.*

*Nec meliore draco Rhodopæus sorte frua-
tur,*

*Victus, inualidus, captus, spoliatus, inermis:
Tum quod supplicij est, & quidquid triste
timendum,*

*Vulpium capiti eueniat, tranquilla mouen-
tum.*

*Vt domus populi perstet tua festa colentis,
Absq̄ lite, uelut suspensus arbore nidus,
Quo fouent teneros passer columba'ue pul-
los.*

ODA - VIII.

Monocolos heptastrophos. Versus Aristophæ-
nici anapaestici dimetri acatalecti, mixti & confu-
si, ex anapaestis præcipue, sed singulis locis admitten-
tes spondeum & dactylum. Hoc genere Tragici
poetæ in choris plurimum utuntur.

VV - -- -VV --

VV - VV - -VV --

-- -- VV - --

-- VV - -- VV -

Vt principes & ciuitates defendat Deus,
qui præbent hospitium Ec-
clesiæ.

A Nimo magno recta tueri,
Digna excelso principe uirtus.
” Licet innumero septa latrone,
” Diuturna tamen nulla tyrannis.
Quanto minus est stabile imperium,
Ausu quod Phlegrai populi
Contra sumit tela Tonantem?

Si pro rapta coniuge, proq̃
Natis & amicis pugnantes,
Si pro patria occisos canimus:
Iustus illos etiam heroas,
Genitosq̃ Deo dicimus esse,
Præsidio quorum tuta manet
Hodie in terris inclyta pietas.

Sicut clarent nomina regum,
Pietatis quos extulit ardor,
Magnanimi Daudis, & eius
Qui sunt toto corde secuti
Iter: Achaz̃i filius, & qui

Precibus

Precibus Syrum, precibus morbum,
Precibusq; Dei sustulit iram:
Sic nunc celebrentur quoq; multi,
Alacres Christi regna tueri,
Quiq; bonorum similes esse
Vel uita discrimine malint:
Quam qui sortes turpiter animos
Abiecerunt, ueluti Saulus
Et Sebiades, casus uterq;
Verum ut perstent stabiles multi,
In proposito magno, Dominum
Cæli & terræ metuendo magis,
Quam perituræ hominum leges:
Ipsos serua Christe, tuiq;
Qua patet ampli terminus orbis,
Sparge sacrati semina uerbi.
Nec non reliqui populi, urbesq;
Quorum hospitio Ecclesia floret,
Munita alta robore mentis,
Sint incolumes, sint florentes:
Impius ut cum uideat Christi
Regnum augeri, tacito uratur,
Animum rodens, corda dolore:

ODA IX.

Monoc. Versus Aristophanici anapaestici tetrame
 tri acatal. mixti. Sunt aut cõpositi ex anapaestico di
 b 2 metro,

metro, quales fuerunt Odae præcedentis omnes: & ex heroico trimetro, cuius generis in prima Oda huius libri fuerunt duo postremi.

-- UU-- UU-- -- -- -- --UU-- --
 UU-- -- --UU-- -- UU-- -- --UU-- --
 --UU UU-- -- --UU-- -- -- --UU-- --

Pro ijs qui contra impios cultus conantur
 ueram de Deo religionem
 defendere.

Quæ nam tenet ac tenuit cacum semper
 uesania mundum,
 Animos contra tollere Christi doctrinã, eiusq;
 ministros?

An quòd nunquam improbitas faciles pietati
 commodat aures?

An quia tenebra mundi nequeunt lumen cœ-
 leste tueri?

Genitum æthereo de patre Christum, durum
 exhausisse laborem,

Hominum causa, & nullo merito nobis donasse
 salutem,

Triplicem gestans fronte tyaram, blasphemo
 pernegat ore,

Gregeq; imitatorum: quia laudem, quæ soli de-
 bita Christo,

Alijs tribuunt, eiusq; nouant non ulli iussa no-
 uanda:

Sacra prostituunt auro, fingunt terrores, templa
prophanant,

Vulgiq; uetant noscere lingua, aeterna praecepta
salutis.

Sibi opes querunt, populum instituunt per to-
tum uix semel annum,

Prohibent leges coniugiorum, uendunt benefa-
cta, Deumq;

Et aperta uoce palam clamant, Regnum non u-
tile Christi est.

At qui pugnant animis contra mendacia forti-
bus ista,

In eos regum intentant gladios, & magni Ca-
saris iras:

Quas in Turcam accendere, pium erat, uertunt
in uiscera Christi.

Nunc absumpta incendia, ferri est obtusus mu-
cro, cruoris

Sunt effusi fontes, rabies tamen haud saturata
quiescit.

Sed tu caelo residens alto Pater optime, compri-
me tandem

In tua saeuos membra Antiochos: & per quos
crescere uerbum

Vita statuis, defende. tuos alter suspirat hono-
res,

*Sacrilego qui se facit ausu terra astrorumq̄ po-
tentem,*

*Ponere cælestibus haud dubitans ingentia iussa
ministris.*

*Astrue regnum, quod donasti, per cari vulne-
ra Nati,*

*Nostris quod maioribus olim rapuit Romana
tyrannis,*

*Et nunc cupit extinguere, nulli parcens insana
furori.*

*Serua, serua Pater, ut perstet tua tandem Ec-
clesia sancta:*

*Daq̄ fideles uerbo, fortes animo, uitaq̄ proba-
tos,*

*Inq̄ tuendo grege magnanimos pastores atq̄ ma-
gistros,*

*Qui pro timidis ouibus pugnent, contra furesq̄
luposq̄:*

*Vt quando uenit filius hominis, sonitu præcun-
te tubarum,*

*Arbiter orbis, statuens olidos procul à balanti-
bus hircos,*

*Nos cum Christo, merito ipsius, superum ascen-
damus ouile.*

ODA X.

*Dicolos distrophos, Primus uersus Alcmanicus
dactylicus*

dactylicus trimeter hypercatalectus, modò dactylū,
 modò spondeum indifferenter suscipiens. Alter Phe
 recratius trimeter acatalectus, cōstans spondeo uel
 anapæsto, dactylo, spondeo, uel propter extremam
 communem, trochæo.

- UU -- - UU -
 -- - UU --

Pro ijs qui amant doctrinam cœ-
 lestem, ut eius luce illu-
 strentur.

Iam noua lux misit radios,
 Diuulgata per orbem:
 Quoq̄ suum iubar ipsa iacit,
 Rident campus & herba.
 Non ibi flauentes ardor
 Torret Syrius agros:
 Nec trahit informem limum
 Stantis fluminis unda:
 Qualem Sequana, uel Dilia,
 Voluunt agmine toto:
 Qualem Athesis pridem euomuit,
 Et Cynthi mobile stagnum:
 Sed uer perpetuum spirat,
 Eius cuncta sodales
 Dum tepidi mulcent Zephyri,
 Et per garrula saxa

Irrigui strepitant fontes,
 Resonantq̄, alite Sylua.
 Hanc ex mente Patris lucem,
 Radijs cuncta fouentem,
 Accendit, uentoq̄, sacri
 Longè flaminis egit,
 Nescius occasum Titan,
 Rerum principium & fons,
 Ergo qui sine fine micas,
 Talis luminis auctor,
 Virginei partus uentris,
 Voxq̄, & sermo parentis
 Aetherei: da quaeso tuis
 Claram cernere lucem,
 Qui tibi nocte dieq̄, ferunt
 Iussus munera ad aras,
 Vota, preces, gemitus, lacrymas,
 Regum namq̄, tyrannis,
 Pontificumq̄, libido, pios
 Audet tradere morti.
 Ac ueluti nimio ceruus
 Fatigatus ab aestu,
 Vallibus hinc atq̄, inde uagus,
 Fontem quarit opacum:
 Sic quoq̄, grex tuus in tenebris,
 Multo pressus ab hoste,

*Speratas aliquando cupit
 Vultum tollere ad auras,
 Et de fonte tui uerbi
 Optat ducere nect̄ar.
 Hanc seda atq; extingue sitim,
 Refouens pectora anheła,
 Propitiusq; tuam lucem
 Cupidis mentibus adde;
 Ne pereant anima, quarum
 Causa passus acerba es:
 Vtq; illas faceres saluas,
 Mortis vincla subiisti.*

O D A X I.

Monocolos tetraſtrophos. Verſus Adonij dime-
 tri acataleſti, quales apud Lyricos accinuntur Sap-
 phicis hendecaſyllabis, apud Tragicos Ariſtophae-
 nicis anapaſticis.

- V V - -

- V V - V

- V V - V

- V V - V

Vt uitæ ſtudia Deus fortunet.

V Nica uita
 Regula Chriſte,
 Conditor orbis,
 Atq; redemptor:

h s

Ne

*Ne, quasi pulchrum,
Turpe probemus,
Disjice inertes
Corde tenebras.*

*Sit tua nobis,
Tradita flatu
Numine sancti,
Nota uoluntas.*

*Dirige nostra
Lintea prora,
Cum uaga misces
Aequora Nerens.*

*Littora facq̄,
Cernere fida,
Atq̄, petitos
Tangere portus.*

*Daq̄, laboris,
Ac studiorum,
Possē salubres
Carpere fructus.*

*Vt tua per nos
Gloria crescat,
Atq̄, perenni
Laude colaris.*

O D A X I I.

*Dicolos distrophos. Primus uersus Pherecratus
dimeter*

dimeter acatalectus, ex trochaica pentemimeri, trochæo scilicet, spondeo, & syllaba longa. & ex Adonio, hoc est, dactylo & spondeo, uel trochæo, propter finē. Alter Aristophanicus, ex monometro hypercatalecto, hoc est, ex iambica pentemimeri, iambo uel spondeo, iambo, & semipede, & ex Adonio.

— u — — — — u — —
— — u — — — u — —

Ut puerorum studia uolens & propitius
gubernet Deus.

Pulchra Pastoris ut rosa in hortis,
Nascente mittit uere corymbos :

Sic statim primis debet ab annis

Puer cupitos edere fructus.

Aut bona si cui turpiter hora,

Citaq̄ ierunt tempora uita,

Ille Narcissum sero, at honesto

Tamen sequatur flore comantem.

O' puer, Christo nomina dans, cum

Fontis salubri tingeris unda,

Disce cælestem noscere patrem,

— Precemq̄ crebras offer ad aras.

Huc refer finem, principiumq̄,

Et actionum, & totius aui.

Nam Deus nullo cultus honore,

Regna atq̄ magnas perdidit urbes.

“

“

Tum piū munus sedulus imple,
 Seruaq̄, fidi dicta magistri,
 Nec tuos unquam lade sodales,
 Mentemq̄ cunctis exhibe amicam.
 Hinc bonas artes, dona superni
 Flatus, amore amplectere uero.
 Ira, lites, mendacia, fraudes,
 Et contumaces pectoris ausus,
 Barbarus quaēq̄, haud fert Scythia, longē
 Ab eruditis moribus absint.
 Ut scias membrum te melioris
 Cætus, Deiq̄ in te pia noscas
 Dona, ne possis transfuga dici,
 Boniq̄, tanti ingratus haberi.
 Hæc ut agnoscat labilis ætas,
 Et imperita corda iuuenta,
 Spiritu infirmos tu rege Chryste,
 Ac inscientes dirige sensus:
 Quosq̄, tam blanda uoce uocasti,
 Tuo fauore & numine firma.
 Angelos illis adde ministros,
 Curas ad has quos ipse creasti,
 Ut sit in terris concio sancta,
 Grex inter orbis iamq̄ ruinas
 Perstet immotus, qui tua sancta
 Canat futuro temporis æuo.

O. D. A. X I I I.

Dicolos distrophos. Versus Ionici trimetri acatalecti. Primus Anacreonticus, ex duobus molossis, & Ionico à minore. Alter Aristophanicus, ex amphibrachy, molosso, & Ionico à minore. Si quis hoc genus inter composita referre mauult, & distinguere pedibus, ita ut superior Oda distincta est, non impedio, utrunq; enim genus inter se admodum simile: in priore enim cæsura, modo, & temporibus differunt, in extremo sunt æqualia.

--- --- UU--

V-U --- UU-V

Pro magistris, qui piè & fideliter & seuerè teneram ætatem instituant.

Quid prodest regum sanguine nasci,
 Noaq; ab ipso ducere gentem,
 Ornatum claris dotibus esse,
 Videre acuta plurima mente?
 Non gentem uirtus, non comitatur
 Pium, sagacem Lyncea, pectus:
 Ni cauti frenent corda magistri,
 Regantq; doctis impetum habenis.
 Tollentem cæli brachia ad auras
 Videmus altis montibus ornum,
 Quam terra paruam uellere posses,
 Securis haud qui nunc pauet ictus.

„ In formas transit carea cunctas,
 „ Adhuc mali expers mens puerorum;
 Ac sicut nullo picta colore
 Receptat omnes tabula formas :
 Sic haurit doctrinam rudis atas,
 Bibit quam ab ipso lacte parentis:
 Nec nouit prauos ponere mores,
 Semel tenellis quos rapit annis :
 Vt non imbuti mittit aceti
 Recens amarum testa saporem:
 Da Christe ô doctos, daq̃, fideles,
 Virosq̃, sanctis moribus aptos,
 Qui forment parue corda iuuenta,
 Viasq̃, ducant semper honestas:
 Linguam qui fingant artibus, atq̃,
 Comas in herbis luxuriantes
 Qui tollant, ne sylescat adulta,
 Superba solis caulibus, uua:
 Matura ut pulchros efferat olim
 Sacratum ad usum uinea fructus:
 Quos ergo tali munere fungi
 Iubes, molestos ferreq̃, fasces,
 Rectores turbæ sunt quia sanctæ,
 Ferè & proterui fabula mundi :
 Tu serua aterni nate parentis,
 Et angelorum protege turma.

Succrescas

*Succrescat nobis culta iuuentus,
Ad utiles res apta gerendas,
Neu totum perdant turpiter orbem
Mala imperiti examina vulgi.
Sit cultus templis, urbibus ordo,
Scholisq̄ ueri dentur honores.*

ODA · XIII.

Dicolos tetraſtrophos. Verſus omnes Phalaecij.
Priores duo & poſtremus pētametri hendecaſylla
bi, cuius generis & in primo & in hoc ipſo libro le
guntur. Tertius tetrameter enneaſyllabus acatale-
ctus, ex ſpondeo, dactylo, & dijambo, uel iambo et
ſpondeo.

-- -VV -V -V -V
-- -VV -V -V --
-- -VV -V -V
-- -VV -V -V --

Pro conſeruatione Eccleſiarum & ſinceræ
doctrinæ, in ijs regionibus, in quibus hac
poſtrema ætate uera Euangelij
lux effulſit.

Aſtrorum dominus, maris, ſoliq̄,
Acternusq̄ tui parens I E S V,
Vnus, maximus, optimusq̄,
Cum Nato Deo, Spirituq̄ ſancto.
Qui primo tibi condidiſti ab auo

Agmen

Agmen non numerabile angelorum :
 In terris quoq; congregasti
 Cœtum te uenerantium fidelem,
 Adsis pro solita benignitate,
 Ac te ritè uocantibus propinques :
 Quod te per Genitum beatum,
 Perpeffum tot acerba, flagitamus.
 In nostris regionibus tuere,
 Quæ te prædicet, inuocetq;, turbam :
 Te cognoscat, amet, placentem
 Sîstat thuricremas acerram ad aras :
 Quæ Christum uencretur, & salutis
 Auctorem fateatur esse solum:
 Illumq;, assiduis fatigans
 Lamentis, ueniamq;, opemq;, poscat.
 Quæ sponte & facili sacri sequatur
 Ductum flaminis, ambuletq;, rectè,
 Et dicat meritas per æuum
 Sinceris precibus fideq;, laudes.
 Nam fixum hoc animis sedet, quòd unum
 Cœtum iusseris esse te colentum,
 Quà Ganges patet, atq; Bathys,
 Ardens quà nepa, quà piger Bootes.
 Eius nos quoq; membra scimus esse,
 Qui te diligimus, tibi litamus,
 Ac dictis adhibemus aures,

Quæ per templa p̄sonant ministri.

Hanc audi bonus, adiuuq̄, fortis,

Quæ clamat, queriturq̄, concionem:

Aduersusq̄, furorem, & astus

Prædonum, patr̄is foue sub alis.

Da iustos dominos, piosq̄, reges,

Tutantes misera ocia & quietem.

Quàm ueros feret hic laboris,

cc

Qui nutricius est piorum, honores.

cc

Ac quando Pater in tui rogamus

Nati nomine, & illius frequenti,

Promissa memores salutis,

Ad te tollimus ora nostra iussu:

Aufer tot mala dura luctuosi

Martis, redde bonam piamq̄, pacem:

Sint sedes placida scholarum,

Sint Ecclesia & hinc & inde tuta:

Ut pristis niteant decore lata,

Pax concors, Pietate cum sorore:

Et tollant capita alta, sicut

In campo ardua palma stans Idumes:

Tuq̄, ô Christe, tu ô redemptor orbis,

Proles certa Deiq̄, Virginisq̄,

Nostram suscipias patronus,

Defendasq̄, tuo fauore causam.

Ut cuncti uideant, sciantq̄, sancta

*Te solum caput esse Christe turba;
Te regnare Deum, piosq;
Per te perpetuò manere cœtus.*

O D A X V.

Dicolos tristrophos. Primi duo uersus Phalæcij
hēndecasyllabi pētametri, postremus Glyconius cho
riambicus trimeter. Vtriusq; generis exempla in su
perioribus libris fuerunt tractata, sed locis diuersis.
Primi generis libro primo, Oda tertiadecima: po
stremi primus est eiusdē libri Oda decima, & ulti
mus Oda quartæ & quartadecimæ: itē libri secūdi
primus Oda tertiadecimæ, et tota Oda undecima.

— u — — — u u — u — u
— u — — — u u — u — —
— — — u u — u u

Pro concordia eorū qui Ecclesiæ, Rei
publicæ, & scholis præsunt.

Conditor rerum, superūm beatam
Qui domum, summi super alta cœli,
Munis orbe nouemplice:
Qui facis uultum radiare solis,
Cumq; mutato quoq; sole, corda
Læta aut tristia reddis: &
Qui uaporosa modò plena luna
Lumina excudis, modò diminutum
Fingis cornibus ambitum:

Alteram

Alteram noctis dominam, diei

Alterum patrem, & famulans utrisq;

Adiungis decus Hesperii.

Quis uetat cæli imperio, minora

Regna terrarum, sibi comparare

Vnius sæderis inuicem?

Noster est Titan speciosa turba,

Cuius est Christus caput: ille uerum

Præstat pectoribus diem.

Ille fulgentes radios per orbem

Mittit, & uerbi iacit undequaq;

Purum saluifici iubar.

Luna nocturnas fugat ut tenebras,

Hostis impuro, metuenda furi,

Stellis cincta micantibus:

Sic regit uitas hominum, & labores,

Qui tenens uulgi moderamen æquum,

Causis nubila discutit.

Sed nec in templis tibi conciones

Vtiles fient, neq; dirimentur

Iustis prælia legibus:

Ni schola sese his socient, & illis

Partibus, lucis famula, atq; noctis,

Hesperii conditionibus.

Cynthio quod si soror inuideret,

Stellaq; odisset Veneris Dianam,

Cæli ingens caderet globus.
Templa sic, & publica res periret,
Ac schola turpem traherent ruinam,
Ni cuncta unanimes forent.
Sancte cum Nato Pater, astra consors
Possidens, & Flamine cum sacrato,
Vis una, & Deus unicus,
Omnium mentes placidus gubernas,
Da pios sensus, & amica iunge
Vinclis pectora aheneis.

O D A X V I.

Dicolos distrophos. Primus uersus Phalæcius trimeter, ut sunt libri secundi Oda quinta omnes, & libri tertij Oda quartadecima priores duo & postremus. Alter elegiacus pentameter, factus ex duplici pentemimeri, altera heroica, altera dactylica.

-- -VV -V -V -V
 -- -- - -VV -VV -

*Vt in sua quisq; functione felices atq;
 utiles consequatur successus.*

O Custos hominum, satorq; rerum,
Verus & omnipotens ante creata Deus:
Occasus moderans, regens & ortus,
Illustrans uerbi lumine cuncta tui.
Cuius cæruleas uolans per undas
Spiritus, implevit numine inane chaos.

Tu das alitibus leues uolatus,
 Squamigerum mandas amne natare pecus,
 Obseruatq; tuo domum Molossus
 Iussu, & Olympiaco carcere sudat equus.
 Massyli quoq; sauiunt leones,
 Fulmineo Marsus dente timetur aper,
 Et pondus graue Sarde fers a selle,
 Bos arat, est placida simplicitatis ouis.
 Quidam retia te uolente tendit,
 Alter Sidonio pulcher honore nitet.
 Tu iussisti inopem docere Petrum,
 Tu gerere insignem sceptrum Theodosium.
 Hac cum munera comprobes, amesq;,
 Imponasq; aliquod cuiq; laboris onus:
 Optatos precor, utilesq; prabe
 Successus, & opes adde benigne tuas:
 Ut qui lina trahit frequens ad undam,
 Huic plenus multis piscibus hamus eat.
 Dent aures faciles docente Petro,
 Impleat & templi sœmina uirq; fores.
 At regem ueneretur, audiatq;
 Imperij sceptris subdita turba py.

ODA XVII.

Monocolos. Versus sunt Cretici, siue Pœonici di
 metri acatalecti, constantes ex Creticis. In primo,
 secundo, & tertio loco hospitem & amicum pedem

accipiunt, pæonem primum uel quartum, qui fiunt
ex resolutione longarum syllabarum in Cretico.

-v- -v- -v- -v-
-vvv -vvv -vvv -v-
vvv- vvv- vvv- -v-

Ad tollendam inter principes Christianos
discordiam, & patriæ tumultum
sedandum.

Hoc etiam restitit patria, hostilibus
(Proh facinus) inuicē ut concideret en-
sibus?

*Tristis hic nam furor quis fuit? quæ lues
Sedibus ab inferis concita, & ab horrida
Nocte, mites coegit uiros, sanguine &
Fœdere, ac pluribus compares uinculis,
Stringere in mutua enses graues uulnera?
Audient impij nos professos simul
Christianam fidem, ferre nunc hostica
Arma, quis rectius caderentur Getæ
Barbari, quis periret Babylon improba,
Quisquis & ueritati repugnat Dei.
Tecta flagrare non Thracys ignibus
Vidimus, uidimus cum domibus oppida
Diruta, heu non tyranni manu Pontici:
Penè fratrum mala hæc facta sunt dexteris.
Fuimus ingrati, & hoc omne, maioraq;
Merui-*

*Meruimus . sed tuum est ô Deus parcere,
Et preces supplicum nolle contemnere.
Culpa nos merita quamuis premat, non ta-
men*

*Ideo cessat mali perpetrandi furor.
Quò ruis caca mens ? pœnite, pœnite,
Et sacras curre ad aras, Deus criminum
Contumaci haud solet pronus aures dare.*

*O Pater, per tuum filium quæsumus,
Mitiga animos acerbos, doma pectora
Dura: da dulce pacis bonum, & spiritum
Cœlitus mitte sacrum, quietis Deum,
Atq; concordia: si fide poscimus,
Obsecramusq;: si te fatemur soli,
Maris, abyssi, aetheris, mentiũ hominũ, pa-
trem*

*Præpotentem, tua sospita nos ope.
Bella crudelia, famemq; miseram, & luem
Morbidam, ad Thraciũ iratus age Bospho-
rum.*

*Capita discordiarum tua dextera
Tolle, rursum boni fulgeant ut dies.*

O D A X V I I I.

*Dicolos distrophos. Primus uersus iambicus di-
meter acatalectus, ex quibus secundi libri constat to-
ta Oda nona, & sæpe alijs in locis eo usi sumus, ut*

in hoc ipso libro Oda quinta, & libro primo Oda
secunda & nona, ubi alijs accinitur. Secundus tro-
chaicus dimeter catalectus, factus ex tribus trocha-
is, & indifferente syllaba, admisso quoq; spondeo
loco secundo: cuius generis est primus in libro pri-
mo, Oda octava.

-- u- -- u-
-u -u -u -

Vt Deus in publicis ordinibus contra mul-
titudinem improbam, bonos & re-
ctè sentientes tueatur.

Primi parentis proditor,
Simplicisq; sæminæ,
Verbiq; quod perceperat,
Falsus interpres Dei:
Noctis, diei squamiger
Non quiescit tempore,
Præcepit in aeternam ut necem
Trudat humanum genus.
Astu timendus deuius, &
Tortuosis fraudibus,
Factisq; nomen congruum
Nactus à calumnia.
Nunc uiribus ruit ferox
Mille cum phalangibus,
Et præliatur principes

Latus inter ordines.
Nunc flammeum ex rubis caput
Multilinguis exerit,
Præter, malignè calcibus
Imminens, euntium:
Insensus illis maxime,
Recta quos sententia,
Et nota uirtus extulit
Publicis honoribus.
Qui cuncta, sicut nauita,
Signa turbinum notant,
Ne puppis irruentibus
Obruatur fluctibus.
His ille uentorum patrem,
Cœli & æquoris minas
Immittit, ut portu procul
À quietis arceat.
Remoq; & Euris incitam
Currere humidas uias,
Velut tenente remmora,
Non sinit Liburnicam,
Velum inuolat mendacijs,
Et rudentes inuida
Spira implicat, remos tenet
Asperis calumnijs.
At tu Pater, cœli Deus,

Qui draconis horridi,
 Casta per ortum uirginis,
 Luridum calcas caput.
 Qui ueritatem amant uiros,
 Quiq; recta sentiunt,
 Illis utrunq; cœlitus
 Protege inuictum latus.
 Frange efferos satellites
 Infera tyrannidis,
 Et seruientem demoni
 Perde multitudinem.
 Susanna iniquè non cadat
 Impio sub iudice.
 Nabothus agri terminos
 Seruet & ius patri.
 Cedat pudori audacia,
 Vincat innocens reum.
 Pugnet furori lenitas,
 Veritas mendacio.
 Ut quando purus fulgido
 Axe splendet Cynthius:
 Bonorum ita excellant quoq;
 Et coruscant agmina.

O D A X I X.

Dicolos distrophos. Versus primus Euripideus
 trochaicus dimeter acatalecticus, ex trochæis quatuor
 constans,

constans, recepto (ut fit) paribus in locis spondeo.
 Alter Anacreonticus iambicus dimeter catalectus,
 quales sunt in libro secundo Odae duodecimæ omnes,
 & Odae ultimæ postremus.

- u - u - u - u
 u - u - u - u

Ut pios & sapientes consiliarios Deus
 principibus addat, eosdemq;
 conseruet.

VT sciens sit rector ipse,
 Ratisq;, littorisq; :
 Utq; currum qui gubernat,
 Equos agat peritè :
 ille fractis cum periculo
 Remis fretum mouebit :
 Hic rota labente, serò
 Domum miser redibit.
 Ut bonus sit fortè princeps,
 Veriq; amans, & equi,
 Nec peritos ac fideles
 Sit nactus idem amicos :
 Publica in statu beato
 Res non potest manere.
 Ionathæ patri quis auctor
 Necis fuit probrosa:
 A Deoq; quis cor eius,

Nisi improbi tulerunt?
 Quis'ue lumine, atq; sceptro,
 Et prole Sedechiam
 Orbat? an non efferata
 Ducum improborum turba?
 Tu boni largitor omnis,
 Regumq; rex potentum,
 Mitte tales oro pestes
 Terra ultimas ad oras:
 Lubricum fac & tenebras,
 Pedem ac uias eorum,
 Angeliq; persequentis
 Cadant cruento ab ense.
 Rursus à malo sit omni
 Procul remotus ille,
 Qui facit plus imperantem,
 Quàm purpuram & placentam.
 Qui timens Dei, irretortus
 Dona abijcit nocentum:
 Quiq; pollet erudita
 Mentis sagacitate.
 Quando tales ciuitati
 Soli utiles habentur:
 Da Pater, iuua, & gubernata
 Tui uiros amantes.
 Lux sit atq; reſtitudo

Iter, pedesq; eorum.

Floreat, Mineruæ in agro

Quæ sunt, pares oliuis,

Pullulentq; sempiternum,

Radibus nouellis,

Squallido ne senticeto

Campi asperetur aquor.

ODA XX.

Dicolos distrophos. Primus uersus Anacreonticus iambicus dimeter catalectus, ex spondeo uel anapesto, duobus iambis, & abundante syllaba: cuius rationis propemodum sunt libri secundi Ode duodecimæ omnes, & Ode ultimæ postremus, item libri tertij Ode nonædecimæ etiam postremus. Alter Alcmanicus dactylicus trimeter acatalectus, ex dactylis duobus & spondeo, uel primo quoq; spondeo.

-- v - v - -
-vv -vv --

**Vt Deus ueræ Ecclesiæ membrum se
perpetuò uelit esse.**

Quicunq; ad astra uocem
Tollere seruidus optat,
Membrum hunc oportet esse
Sancti immobile cætus.
Deus audit improborum
Nullo tempore uota:

*Neg uult suum maligno
Verti nomen in ore.*

*Si thura fert ad aras,
Excitat impius iram :*

*Maledicta si precatur,
Cælum dicit in ipsum.*

*Quis ergo clara uultum
Lætum tollet ad astra ?*

*Qui credit in Parentem,
Verbo cuncta potentem :*

*Suamq̄ nouit esse
Vitam, uulnera Christi.*

*Qui, sorte de piorum,
Consors numen utriq̄,*

*Sequitur p̄ Fauoni
Flantem cœlitus auram.*

*Nec carcerem, minasq̄,
Oraq̄ Maximiani*

*Horrens, sinit seuera
Se de mente moueri.*

*Sit laus Deo perennis,
Omne & gloria in euum,*

*Quòd fonte, quodq̄ uerbo
Culpas eluit, & me
Carnisq̄, sanguinisq̄
Ambrosia cibet esca.*

Quod

Quòd concionis huius
 Partem uult numerari,
 Qua sola ueritatis
 Spirat cœlitus aura,
 Passoꝝ non negatur
 Debita gratia Christo.
 In qua manere parte,
 Contra carnis, & orbis,
 Sathanæꝝ ut arma possim,
 Clemens effice Christe:
 Motusꝝ cordis agri, &
 Lubrica gaudia pelle,
 Curisꝝ de prophanis
 Exemptum adijce cœlo:
 Ut sedibus beatis
 Vinam, portio diui
 Cœtus, tuasꝝ longo
 Cantem tempore laudes.

ODA XXI.

Dicolos distrophos: Trochaici omnes. Primus
 Euripideus trimeter acatalectus, ex trochæis qua-
 tuor, admissio locis paribus spondeo: cuius generis in
 hoc libro est Oda nona & decima primus. Secundus
 Archilochius trimeter catalectus, ex trochæis quin-
 que, spondeo item locis imparibus adhibito.

-v -- -v -v
-v -- -v -- -v -

Vt iram suam, quam plurimis prodigijs ostendit Deus, uertat in impios.

- ” Quidquid in cælo, soloq̄,
 ” In marisq̄, fit patentis æquore,
 ” Fit Deo nil non iubente.
 Impie haud sentis Deum? quin aspice,
 Quando sæpius rubente
 sanguinis colore sol apparuit?
 Pallidasq̄, luna bigas
 Ore tetro multiformis extulit?
 Cælum hiare nocte uisum,
 Igneis super cadentibus globis:
 Sanguinisq̄, sulphurisq̄,
 Triticiq̄, fluxit imber: fulmina
 Oppida & uillas cremarunt.
 Clangor auditus tubæ atq̄, classici,
 Militantiumq̄, castra
 Hinc uagata sunt & hinc per aerem.
 Monstra matronæ ediderunt,
 Et fera partus tulerunt horridos.
 Terra motu contremiscens,
 Hausit urbes: quaq̄, camporum prius
 Plana, montes nunc teruntur:

Quaq̄

Quaę, pisces inierant, eunt equi.

Nē uē quid mali deesset,

Pontus urbes, ignis urbes sustulit:

Spemq; ruris, messiumq;

Grex locustarum atq; uastat murium.

Plura quid refers? harenas

Vis ne metiri, uel undas aëquoris?

Quisquis es, caue monentem

Mente te Deum leui contemnere.

Disce ab intimo uereri

Corde cælestem patrem: malaq;

Facta uita corrigendo,

Ingemisce, deprecare, pœnite.

Flamma consumens Dei ira est:

At pia tamen placabilis prece.

Affer ergo opem benignam

Cælitus nobis Pater dolentibus:

Nec salubris esse cessa,

Nostra curans morte Nati uulnera.

Iure tu iustam minaris

Inquinatis crimine iracundiam.

Iure reycis nocentes,

Mentis ingrataq; non probas scelus.

Sed tuum non est, quod ipse

Tu creasti, perdere: aut id tollere,

Quod potes seruare. serua

k

Nos;

Nos, tu; ob famam perennem nominis.

Et reduc dextram: nec ira,

Sed tua memento clemens gratia.

Tolle terrores, metusq̄:

Si quid & mali timendum est, hinc procul

In tuos, hostesq̄, nostros

Verte: gentes uniuersae sentiant;

Te pijs adesse, teq̄,

Seculis odisse cunctis impios.

ODA XXII.

Monocolos. Versus sunt de genere choriambico
rum mixto, quo præter Boethium, quod sciam, ne-
mo Latinorum usus est. Constant ex dactylo, cho-
riambo, proceleusmatico, uel propter naturam ul-
timæ communem, pæone quarto.

-VV -VV- VVVV

Pro sancta uita, & beata ex uinculis
humanis liberatione.

VT solitam maris Adriatici
Seuitiam, & fera Martis opera,

Noxia corporibusq̄, mala, & ut

Pauperiem, exiliumq̄, fugias:

Non tamen effugies quoq̄, necis

Vincula, regibus atq̄, inopibus

Non soluenda, nigros ubi semel

Instita longa pedes tetigerit.

Non decus eximium familia
 Nobilis, altus opum ue cumulus,
 Non coma candida, lumina nigra,
 Aut senio atq; neci dare moram,
 Aut caput eximere è Styge ualent.
 Pocula cum bibiturus adhibes
 Ori, epulasq; capis, Styga bibis,
 Et temerat Lachesis fera cibos.

Vsq; necis memor esto, fragili
 De patre lucis habens initium,
 Massa caduca luti, miseraq;
 Umbra: Deumq; pie reueritus,
 Perpetuus scelerum & flagitij
 Osor & hostis age, idq; quoniam
 Das Deus ipse bonum, placidus &
 Dexter adesto tuis: rege sacro
 Flamine corda, tuiq; tribuens
 Notitiam, unigenaq; geniti,
 Viuere fac bene, fac bene mori:
 Dulcis ut illa etiam mihi sonet,
 Vox sonet illa: Ades ô placite grex,
 Turba beata ueni, cape Patris
 Regnaq;, & angelicis data choris
 Tempa per innumeros cole dies.

ODA XXIII.

Monocolos, Versus Anacreontici Ionici trime-

k 2 triacas

139 GEOR. FABRICII
 tri acatalecti, ex molosso uel choriambō, duobus Ion
 nicis à minore: quorum tamen alter esse potest mo
 lossus, postremus semper Ionicus. Alij ex principio
 & fine heroici constare uolunt, dempto per meo
 dium pede & semipede.

--- UU-- UU-U
 -UU- --- UU--

Auctoris gratiarum actio, ad Deum
 omnipotentem.

Non si psalmographi regis haberem
 Ora, aut Tarsensis pectora Pauli,
 Ex merito dignas dicere posset
 Sidereo grates Musa parenti:
 Qui nostro igniculum corde salutis
 Accendit, clari lumine uerbi.
 Hunc utinam tali uoce ualarem
 Prodere, quo multi carmine uates:
 Vel quos Hesperijs edidit aruis,
 Lumina magna uirum clara uetustas,
 Aurelium Clementem, atq; Iuuentum:
 Quosq; opulenta suos Gallia iactat,
 Prosperum, & eloquij dulcis Auitum:
 Vel quos nostra pios secla tulere
 Vates, uerba Deo digna locutos.
 Sed non ingenij uena benigna est,
 Incidit aut animo grandior ardor.

Fingens

*Fingens exigua grandia uoce,
Atq; operosa ferens carmina paruum:
Saltem corda Deo grata probare, &
Heu uacuus proprij ac pauper honoris,
Aera referre dati quaro talenti.*

*Nam quæ Chrifte tibi munera cunq;
Offerimus, non sunt nostra: sed illa
Reddimus antè data, & credita nobis.
Nec tu scis numerum, aut pondera spectas,
Thesauris Persarumq;, Arabumq;
Pomposisq; aris, atq; hecatombis,
Anteferens puram thuris acerram,
Et gemitum attriti pectoris unum.*

*Non grauis ergo humilem sperne Thalciam,
Quæ non Assyrio spirat odore,
Non ornata uenit diuite cultu,
Quod uetuerè mala plurima nostri
Temporis, heu cursu aduersa secundo
Ingenij, & Lydi nescia cantus.
Vox accepta lyra sit tibi rauca:
Quæ licet antiquis uatibus impar,
Atq; nouis minimè æquanda poetis:
Sat facunda tamen, satq; polita est,
Hunc dum grata sonat, libera laudat,
Quem laudare decet, quemq; sonare,
Quidquid habent liquidi sidera cæli,*

134 G. FAB. OD. LIB. III.

*Terra quod ipsa suo continet orbe,
Oceanusq; uagis fluctibus ambit.*

ODARVM LIBRI
tertij Finis.

REGI SECVLORVM IMMOR
TALI, INVISIBILI, SOLI SA
PIENTI DEO, HONOR, GLO
RIA IN SECVLA
SECVLORVM,
AMEN.

LECTORI TYPO-
graphus.

Quum hucusque impressione nostra peruenissemus, & pagellæ aliquot fortè alioqui uacaturæ uiderentur, oblata sunt nobis commodè ab amico quodam M. Ant. Flaminij, doctissimi uiri, de rebus diuinis Carmina, quæ cum ob argumenti cum præcedentibus similitudinem, tum propter singularem eruditionem ac pietatem, digna nobis sunt uisa, quæ hic subicerentur. Proinde consilium hoc nostrum æqui boniq; facito Lector, & nobiscum hanc etiam ueluti margaritam grato animo amplectere. Vale.

k 4

MAR

MARGARITAE

HENRICI GALLORVM RE-

gis sorori, M. Antonius Fla-
minius.



VM Petrus Carnesecus, le-
ctissimus & ornatissimus
uir, de tua singulari erga
Deum pietate, & assiduo li-
terarum studio ad me mul-
ta scripisset, hortatusq; esset, ut si quid no-
ui elucubratus essem, id ad te mitterem,
quòd tibi scriptorum meorum lectionem
non iniucundã esse solere affirmaret: hoc
tam præclaro de te testimonio commotus,
& cum hominis amicissimi autoritate ad-
ductus, tum humanitate tua fretus, Carmi-
na, quæ de rebus diuinis proximè compos-
ui, ad te mittere nõ sum ueritus. In his ego
à meo uetere instituto discessi. Dauidem
enim, & eius similes poetas imitari malui,
quàm Horatium, uel Carullum: propterea
quòd in scriptione rerum diuinarum, ut
munditiam Latini sermonis, & elegãtiam
adhibendã esse non nego: sic omnem ora-
tionis pompam & fucum, & calamistros
remouendos censeo. Itaque ut C. Lucilius
poeta perantiquus dicere solebat, se non
Persio scribere, sed Siculis & Tarentinis: sic
ego,

ego, quæcunq; de rebus diuinis scripsero, ea solùm religiosis, & literarũ diuinarum amatoribus me scripturum profiteor: quibus sine dubio longè gratius faciam, si sty- lum ita temperauero, quàm si orationem fucò & pigmentis illinam. Tu uerò Margari- ta, religionis specimen clarissimum, hoc ab homine tibi deditissimo opusculũ, qua- le id cunq; est, habeto: quod si non ingra- tum tibi fuisse audiam, & ex hoc molesto quartanæ morbo, quo iam multos menses confictor, Dei benignitate conualuero, alia à me posthac huius generis mu- nera expectato.

Vale.

k s M. ANO

M. ANTONII FLAMINII
de rebus Diuinis Car-
mina.

Præcatio matutina.

IAM noctis umbras Lucifer,
Alma dici nuncius,
Terra poloq̄ dimouet,
Simulq̄ nos cubilibus
Monet relictis pectore
Preces ab imo fundere
Ad templa summa cœlitum.
Oremus ergo supplices
Fontem perennem luminum,
Vt sicut omnes aeris
Illustrat oras, uiuido
Sic nostra corda repleat
Fulgore sancti spiritus,
Qui nos per hac contagia
Puros ab omni crimine,
Traducat ad cœlestium
Sedes beatas : illius
Nutu gerantur omnia.
Cibumq̄ siue sumimus,
Seu quid negotij foris
Tractamus, aut domi, intima

*Seu mente quid reuoluimus,
 Id omne semper gloriam
 Spectet beati numinis.
 Rector supreme cœlitum,
 Quæ mente tota poscimus,
 Hæc omnibus concedito,
 Qui corde puro te colunt,
 Et unicum natum tuum,
 Cum sempiterno spiritu.*

Precatio meridiana.

*Iam sol citato sidere
 Suprema cœli culmina
 Percurrit, alma feruidis
 Tellus calefcit ignibus.
 At tu beato lumine
 Accende corda frigida
 Pater benigne, omnibus
 Tantos piorum sensibus
 Ignes amoris excita:
 Ut quicquid orbis continet,
 Præ te sit illis sordidum.
 Nec ulla uis hunc feruidum
 Amoris æstum temperet:
 Sed usq; crescens, omnia
 Conuexa cœli transuolet,
 Summoq; Patri uincula*

Nos iungat insolubili.
 Has nos ab imo pectore
 Precationes mittimus
 Tuas ad aures, maxime
 Terræ poliꝑ conditor :
 Tu uota nostra numine
 Dextro secundâ, idꝑ ad tuam
 Concede nobis gloriam.

Precatio uespertina.

Iam uesper ortus incipit
 Diem tenebris condere :
 At nos parentem luminis
 Sancti precemur, ne sinat
 Noctem suorum mentibus
 Caliginosam irrepere :
 Seu dulcis alma recreat
 Sopor quiete, languida
 Seu liquit ille lumina,
 Nunquam recedat à pijs
 Lux sempiterna cordibus :
 Ut semper indies magis,
 Magisꝑ detur maximi
 Benignitatem numinis
 Videre mente lucida :
 Et hinc amoris optimi
 Ardere semper ignibus.

Supreme cœlitum Pater,
 Votis tuorum supplicum
 Aures benignas admoue:
 Vt sensa cordis omnia,
 Et dicta, factaq; ad tuam
 Sic dirigamus gloriam.

Opem Christi in magna animi ægri-
 tudine constitutus im-
 plorat.

IESU benigne, seruidas
 Precationes, & mea
 Ne queso vota despice.
 Vt terra, solis ignibus
 Hiulca, sic animus meus
 Afflictus, ager, aridus,
 Dulcissimum rorem tuum
 Expectat, ô salus mea:
 Refrigeram mentem meam:
 Metus, dolores, lacrymas
 Muta perenni gaudio:
 Vt hæ querela flebiles
 Mutentur in laudes tuas,
 Et uox agendis gratijs
 Noctes diesq; personet.
 Ne queso more iudicis,
 Quid egerim, quid dixerim,

Quid

Quid cogitarim, pondera:

Peccata sed mea omnia

Tuo cruore deleas.

Me unlnerum sanet dolor

Tuorum, amara mors tua

Cordi meo dulcedinem

Instillet, ut meam crucem

Et fortis & libens feram.

**Quàm sint beati, qui sumpta sua
cruce, Christum se-
quuntur.**

Beatus ille, qui suam

Tollit crucem quotidie,

Magnisq; I E S V M passibus

Sequitur: illum maximus

Cœlestium pater sibi

Adoptat ultro filium:

Eiq; donat spiritum

Peccata delentem omnia,

Hereditatis inclyta

Pignus beatum. is intimo

In corde miros excitat

Patris amores optimi.

Hinc ille temnens omnia,

Quacung; tellus, & maris

Arena diues continet,

Latatur

Latur unico Deo.

Hunc spem, salutem, gloriam

Suam, suumq; gaudium,

Patrem, magistrum nominat,

Latusq; semper dexterum

Sibi tegentem conspicit :

Per huius ut uita uias

Formidolosas ambulet

Securus, & cari patris

Benignitatem sentiat.

Ergo nec illum territat

Humana uis, nec inferum

Furor tremendus maximis

Periculorum casibus.

Vt dura rupes turgidi

Tursa procellis Adria,

Immobilis semper manet,

Nec cessat ullo tempore

Hofes, amicos, patriam

Iurare, negligens sui :

Sic ille uitam cœlitum

Colens, perenni gaudio

Triumphat : impius licet

Terra, marisq; sit potens,

Pulchrumq; nomen occupet

Fœlicis, est semper miser.

144 DE REBUS DIVINIS
Comparat animum suum
flori.

*Vt flos tenellus in sinu
Telluris almae lucidam
Formosus explicat comam,
Si ros & imber educat
Illum: tenella mens mea
Sic floret, almi spiritus
Dum rore dulci pascitur.
Hoc illa si caret, statim
Languescit: ut flos arida
Tellure natus, eum nisi
Et ros & imber educat.*

Eos tantum beatos esse affirmat, qui
cæteris omnibus relictis, Chri-
sto adhærent.

*Quousq; uana somnia,
Falsasq; rerum imagines
O caci amare pergitis?
Non forma uincens Nireæ,
Non diues usus purpura,
Non mens peragrans sidera,
Camposq; latos aeris,
Marisq; terrasq; infimas,
» Reddunt beatos. Vnica
» Felicitatis est uia*

I E S V S benignus, omnium
 Dator bonorum, currite
 Omnes ad illum, currite
 Fidenter, illè deserens
 Amore nostri cœlitum
 Sedes beatas, pertulit
 Famem, sitimq̄, & uulnera,
 Mortemq̄, diram, neminem
 Fastidit illè: perditos,
 Aegros, malorum pondere
 Pressos iuuare diligit.
 Non sic & optimis & unicis
 Amant parentes filium,
 Vt ille nos, ô centies
 Beatus ille, maxime
 I E S V, relictis omnibus
 Qui mente tota se tibi
 In seruitutem dedicat.

Prædicat beneficia à Christo in se
 & ceteros mortales
 collata.

I E S V beate, numinis
 Aeterna proles maximi,
 Quibus tuam clementiam
 Efferre possim laudibus?
 Tu pulchra relinquens sidera,

Formata dextera tua,
 Mortale corpus induis:
 Ut ipse terram deserens,
 Suprema cæli culmina
 Conscendam. acerba uulnera,
 Crucisq; dira sustines
 Tormenta, ut ipse callide
 Serpentis ore saucius,
 Mortisq; certus, gaudeam
 Vita potitus cœlitum,
 Tuoq; factus munere
 Tuus coheres. Fac precor
 IESV benigne, cogitem
 Hac semper, ut semper tibi,
 Summoq; patri gratias
 Agam, pieq; uos colam,
 Totaq; mente diligam.

Quid seruandum sit amatori-
 bus Christi.

Quicumq; IESVM diligit,
 Humana discat omnia
 Nil æstimare. diligens
 Opes, honores, gloriam,
 Amare IESVM puriter
 Nequit. relinque cætera,
 Vnumq; IESVM posside.

*Nam quicquid est usquam boni,
 Sic possidebis. lacrymas,
 Metus, dolores pectore
 Tuo fugabit. dulcia
 Semper morantur gaudia,
 Vbi moratur candidus
 IESVS, uoluptas unica
 Est ille amantium sui.
 Quin mater, & pater tuus
 Te derelinquent, optimus
 A dextera nunquam tua
 IESVS recedet, omnium
 Fidus comes discriminum.
 Et cum suprema uenerit
 Tibi dies, te transferet
 In sancta regna cœlitum,
 Fruaris ut uita simul,
 Et sempiterno gaudio.*

Exprimit ardorem amoris sui
 erga Christum.

*Te sancte IESVS mens mea;
 Amoris icta uulnere,
 Suspirat. ô salus mea,
 Me solue tandem uinculis
 Istis, ut euolem tuam
 Beatus ad præsentiam:*

Fac interim magis, magis
 Amore totus ardeam,
 Ut pura mens à corporis
 Contagione, amplexibus
 Euadat aptior tuis.

Tu spes, uoluptas, unicum
 Cordis mei sis gaudium.

Benigne I E S V, da precor
 Humana cuncta spernere

Te propter, omnia fac mihi
 Te propter unum sordeant:

Seu pulcher oras aetheris
 Sol lustrat almo lumine,

Seu nox benigno languida
 Rigat sopore corpora,

Domi, forisq; mens mea

Te querat, inuocet, canat,
 Solumq; felix in tuo

Dulci acquiescat nomine.

Hymnus in Christum.

I E S V M pudica uirgines,

I E S V M iuuentus integra,

I E S V M uiri, senes, anus

Cantemus: in cuius fide

Latamur esse, patrio

Qui nos amore diligit,

Fouetq̄. Summi numinis
 Aeterne fili, siderum,
 Terra, marisq̄ conditor,
 Nil uasta cæli immensitas,
 Nil magnus orbis continet,
 Non a dextera factum tua,
 Tu patris in sinu sedens,
 Alis, gubernas omnia.
 Tu charitate maxima
 Nostra misertus miseria,
 Mortale corpus induis :
 Diraq̄ suffixus cruci,
 Nos morte vindicas tua
 A sempiternis ignibus.
 Tu morte uicta, regiam
 Reuersus ad tuam, simul
 Tui colentes aurea
 In parte cæli collocas.
 Te cætus omnis cæliturns
 Noctes diesq̄ concinit :
 Te sempiternus Spiritus,
 Salutis authorem unicum
 Testatur esse. tu quies,
 Lumen, uoluptas mentium :
 Tu pastor, agnus omnia
 Peccata tollens, pontifex

*Aeternus, iram maximi
 Sedare praesens numinis.
 Clemens, suavis, optime
 IESU, tuorum prospere
 Cursum benignus, ut soles,
 Piasq; laudes suscipe,
 Quas ore puro fundimus.*

Christum inuocat, magnitudine morae
 bis iam opprimi
 sentiens.

*Iam quinta luna cornua
 Se luce complent horrida,
 Cum febre membra tabida
 Depascor, ossa frigore
 Tremor furente concutit:
 Dein aestus acer intimas
 Vrit medullas, ut faces
 Absumit ignis aridas.
 Iam corpus amisi, mei
 Vix umbra iam superat leuis.
 Ut flos grauatus imbribus,
 Caput tenellum deiecit:
 Sic mens misella perdit,
 Cedit malorum ponderi.
 IESU benigne respice*

Meos labores, dextera
 Tua cadentem subleua.
 Non illud ipse iam precor,
 Meo recedat corpore
 Hac pestis : unum id omnibus
 Votis requiro & obsecro,
 Vt robur & constantiam
 Mihi ministros. languidos
 Artus, medullas, omnia.
 Hic ignis ossa deuoret :
 Dum mens resecta, uiuida,
 Tuoq; fortis spiritu,
 Resistat, & semper tibi
 Iucunda laudes concinat.
 I E S U S benignus, optimus,
 Horrenda passus uulnera,
 Dolentibus succurrere
 Est promptus. agrimoniam,
 Metus, querelas abijce
 Fidenter, ô anima mea,
 Quiesce, nomen inuoca
 Dulcissimum regis tui.
 Est ille munitissima
 Arx inuocantibus eum.

Dolet se iam senem fieri, neq; tamen
adhuc cœpisse Deo ex ani-
mo seruire.

*Eheu senecta crinibus
Iam sparsa canet, labitur
Aetas, ut unda fluminis,
Aurem q; uellens pallida
Mors admonet: Miser ah miser,
Quousq; pergis somnia,
Umbrasq; uanas persequi?
Iam iam supremi iudicis
Tribunal ad iustissimum
Sistere, cordis intima
Qui sensa, qui dicta, omnium
Qui facta nouit omnia.
Hac uera, certa iudicat
Mens: Et relictis omnibus,
Summo beato numini
Seruire totis uiribus
Exoptat, ardet, nititur.
Sed heu misella, sordida
Affixa terra, inaniter
Laborat. Eia agè subueni
IESU benigne, subueni,
Tuamq; dextram porrige.
Tu morte mortuum tue*

Olim euocasti ex inferis :
 Nunc uita me uiuum tua
 Perire ne rursus sinat.
 Humana fac spernam omnia,
 Nudumq; te nudus sequar,
 Et ponderosi corporis
 Me solue tandem nexibus :
 Ut pura mens, & integra,
 Aeuo potita caelitem,
 Te sancte, & optimum Patrem,
 Et sempiternum Spiritum
 Laudare nunquam desinat.
 I E S U S suorū supplicum
 Tutela, portus, gaudium,
 Quae tota mente deprecor.
 Concedet. ipse gratias
 Agam benigno numini,
 Eiusq; laudes pectore
 Latante semper concinam.

Quam sit dulcis & salutaris uulnerum
 & tormentorum Christi assisio
 dua meditatio.

I E S U tuorum uulnerum
 Cruore sancto pascere .
 Me quaeso nunquam desinas.
 Me sanguis iste roborat,

Dulciq̄ replet gaudio.

Hoc est amoris poculum

Cœlestis, omnes sordidos

Pellens amores. ebria

Hac potione mens, sui

Et omnium fit immemor,

Quacunq̄ mundus continet,

Deumq̄, solum cogitat,

Tuumq̄, amorem. feruide,

immense, nulli effabilis

Amor, beatis sedibus

Tu maximi natum Dei

Deducis, ipsiq̄ induis

Mortale corpus: asperam

Dein tollis illud in crucem.

Amabilis, dulcissime

Amor, meis in sensibus

Tantas amoris excita

Flammæ, ut ustis nexibus

His ponderosi corporis,

Alis tuis ad optimum

● *IESVM beatus aduolem.*

Orat ut Christi benignitate sibi liceat piè sancteq̄ uitam agere.

Tutele præsens omnium,

Qui mente pura te colunt,
 Da quaeso, nil ut cogitem,
 Agam, loquar, quod numini
 Tuo placere non queat.
 Comis, benignus in bonos,
 Malosq; sim, ne degener
 Sim natus optimi Patris,
 Qui salis almo lumine
 Illustrat omnes, omnibus
 Potum, cibumq; sufficit.
 Legum tuarum per vias
 Me continenter dirige:
 Boniq; quicquid egero,
 Id esse totum muneris
 Tui sciamq;, & pradicem.
 Seu febris artus pascitur,
 Seu miles urit impius
 Domum paternam, dicere
 Laudes tibi ne desinam:
 Sed cuncta numinis tui
 Nutu regi nil ambicens,
 Viuam quietus. Filios
 Dei secunda & aspera
 Inuent oportet: gloriam
 Tuam, Patrisq; maximi,
 Mea saluti praferam.

*Nec ulla res optatior
 Queat mihi contingere,
 Quàm contumelias pati
 Te propter, ipsa carior
 Sit luce mors : ut corpore
 Exutus, ad tui uolem
 Regni beata gaudia.*

Gratias agit Christo, cuius beneficio
 è maximis periculis fit ereptus,
 & ad uiam salutis re-
 uocatus.

*O' lux beata cœlitum,
 Mortalium fidiſſima
 Tutela, quas agam tibi
 IESU benigne gratias ?
 Ut olim aberrans à grege
 Ouis miſella, ſaltibus
 Formidoloſis delitet,
 Voranda mox rapacibus
 Feris : miſerrimus omnium
 Sic ipſe, per mala omnia
 Cæcus ruebam, candida
 Cum lux beati Spiritus
 Tui refulſit, & uiam,
 Quæ ducit ad ſæliciũ
 Aeterna regna cœlitum,*

Monſtrauit.

Monstravit. ista lux mea
Mentis tenebras dispulit:
Cordi meo dulcissimi
Facies amoris ista lux
Infixit. illo ex tempore
Te sancte totus ardeo,
Te quero amore saucius.
Videre uultum candidum,
Tuis frui complexibus
Mens ardet, ipsa iam nihil
Te præter unum cogitat.
Non sic decentem uirginem
Furens amator deperit:
Non sic tenellum filium
Parens uterq; diligit.
Amoris astu liquitur
Cor molle, ut olim feruidis
Percussa cera solibus.
O flamma mentem frigerans,
Omnesq; labes excoquens,
Me semper indies magis
Incende, perge adurere,
Consume, totum uerteris
Me donec in faces tuas.

Queritur

258 DE REBUS DIVINIS
Queritur magnam hominum partem,
relicto Christo, rebus inani-
bus studere.

IESV beate, si tuo
Amore sancto perfrui
Quàm dulce sit, cognoscerent
Qui res inanes diligunt,
O quàm sua dementia
Taderet ipsos. uulnera
Acerba corporis tui
Tanta fluunt dulcedine,
Ut quisquis illa suxerit,
Opes, honores, omnia
Amata iam fastidiat,
Deiq̃ sola gloria
Latetur, oblitus sui.
Sed caca gens his fontibus
Præfert lacunas putidas
Et pestilentes. Gratia
Magna tibi *IESV* maxime,
Qui me tuo purissimo
Lauas, alisq̃ sanguine.

Prædicat se sine tutela Christi in ma-
la omnia præcipitem
ruere.

Te sancte IESV supplici

Adoro

Adoro corde : cor tibi,
 Meamq; mentem dedico.
 Ut bimulus puer, sua
 Custode si caret, sibi
 Magna creat pericula :
 Sic ipse, si desit tui
 Tutela praesens spiritus,
 In cuncta praecipitem mala.
 Dulcis, benigne spiritus,
 Me quaso totum posside,
 Tuaq; flamma incendito
 Amore cor, illumina
 Mentis tenebras, excoque
 Quodcumq; inhaeret noxij.
 Fac semper in te gaudeam :
 Opes, honores sordeant,
 Summiq; Patris gloria
 Sit luce carior mihi.
 Seu pascit hortus lumina
 Florum colore gemmeo,
 Seu fons susurrans uitreis
 Delectat undis, illico
 Vox surgat in laudes Dei.
 Sol, luna, fulgor siderum,
 Lapsus perennes amnium,
 Formosa Sylva, frugibus

Ager redundans, omnia
 Quaecunq; cerno, maximam
 Sancti, beati numinis
 Benignitatem cernere,
 Manuq; tractare faciant.
 Hinc ipse discam, comiter
 Omnes iuuare, nemini
 Nocere: purus, integer,
 Deoq; carus exigam
 Quod restat ami: transuo lans
 Dein summa caeli sidera,
 Fruar perenni gaudio.

De ardenti amore suo erga
Christum.

Amore totus languero,
 Nec ulla iam datur quies:
 IESU benigne, iam meam
 Solare mentem, candidos
 Ostende uultus, lumine
 Tuo beata lumina
 Fac mea, nec osculum precor
 Amans amanti denega.
 Tu sponsus es animæ meæ,
 Te quarit illa, lacrymis
 Te continenter inuocat.
 Tu sancte, mortis è manû

Tuo redemptam sanguine,

Tuiq; amore sauciam

Odiffe certè non potes.

Ergo misella cur tuæ

Dulcedinem præsentia

Non sentit? ah cur supplices

Venti quærelas dissipant?

Sed tu licebit anxio

Amantem amore torqueas;

Non illa amare desinet.

I E S V, tui tabescere

Amore, res dulcissima est.

Commendat animum suum Deo, ma-
gnitudine morbi in extremum
uitæ periculum ad-
ductus.

Rector beate cælitum;

Qui sic amas mortalium

Salutem, ut almi filij

Cruore sancto laueris

Peccata eorum: suscipe

Serui precantis spiritum;

Qui fretus unica tua

Benignitate, languidos

Artus libenter deserit;

Vt alta cæli sidera

*Petens, fruatur optime
Pater tua presentia,
Et sempiterno gaudio.*

AD MARGARITAM HEN-
rici Gallorum regis so-
rorem.

*Pudica uirgo, regiae
Stirpis propago nobilis,
Ornata sanctis moribus
Et literis, & ingeni
Decore fulgens: scripsimus
Hac, insideret aridis
Cum longa febris artubus:
Iis addituri plurima,
Ni mens grauata corporis
Laboribus languesceret.
Sed tu puella candida,
Caelestis ardens ignibus
Amoris, ut mens augurat,
Libentius hunc perleges
Paruum libellum, sed pium,
Quam prisca uatum carmina,
Nugis referta inanibus.*

PARA-

CARMINA. 163
PARAPHRASIS IN CARMEN
Dauidis, de morte Saulis Iudæorum
regis, & Ionathæ eius
filiij.

*Urbes & agri fundite
Lamenta, tristes sidera
Ad alta uoces tollite.
Nostrum decus gens impia
Extinxit, altis montibus
Gens clara bello procidit:
Ne quæso Fama compitis,
Hæc Ascalonis, aut Gethi
Perfer: puellas hostium
Ne tanta clades ad choros,
Cantusq; letos excitet.
Abominata Gelboe
Nec ros, nec imber educet
Herbam tuam, neq; in tuis
Iucunda uitis, aut scges
Pubescat unquam montibus.
Hic heu relictis parmulis,
Phalanx piorum militum
Fugata turpiter cadit:
Hic dux cruento in puluere
Procumbit, ac si non foret
Gentis piæ rex inclytus.*

Sagitta nunquam Ionatha,
 Cum saua obiret praelia,
 Ictus ferebat irritos :
 Sagitta uelox, fortium
 Potare docta sanguinem.
 Nec hostis unquam uel pede,
 Vel equo tulit sese obuius
 Impunè, cum Saules manu
 Ensem rotaret impigra.
 Saules parens, & Ionatha
 Parentis inclyti decus,
 Iucundi atq; amabiles,
 Vos non diremit impie
 Vis dura mortis, copula
 Quos uita dulci iunxerat.
 Non fortior uobis leo
 Errat Libyſis uallibus :
 Regina non auium ocyor
 Vobis, fugacem præpete
 Penna columbam persequens.
 Vos ô decora uirgines,
 Quas induebat coccina
 Rex ueste, quas monilibus
 Ornabat aureis, date
 Vestro misella lacrymas
 Regi, misella tristibus

Sonent querelis omnia,
 Vt militum ferocium
 Infracta uirtus concidit?
 Vt Ionatha fortissime
 In montibus tuis iaces
 Confossus alto uulnere?
 Has fundo lacrymas tibi,
 Et hæc ab imo pectore
 Suspiria, frater mihi,
 O luce cara dulcior
 Amate Ionatha mihi,
 Quantum nec ardens candidam
 Amans puellam deperit,
 Quantum nec unicam parens
 Tenella natam diligit.
 Vt militum ferocium
 Infracta uirtus concidit?
 Vt Ionathas acerrimus
 Parente cum fortissimo
 In montibus casus iacet?

AD PETRUM CARNESE-
cum, de Margarita Henrici Gallorum
regis sorore, M. Antonius
Flaminius.

*O' fœlix mea ter quaterq; Musa,
Cuius uersiculos puella regis
Maximi soror, utriusq; lingua
Peritissima cantat: hoc beato
Nuncio super alta sustulisti
Cœli sidera Carneſece carum,
Vetustum, unanimem tuum ſodalem.
I nunc peſſime liuor, i, libellos
Meos carpere perge: Margarita
Dum me iudicio ſuo tuctur,
Vos tantum, & maledicta ueſtra cura
Mordaces critici, Libyſſa quantum
Latrantis catuli leana uocem.*

PETRVS

PETRVS VICTORIVS RE-
ginaldo Polo, Cardinali
Anglo.

NON eo confilio, uir optime & ampliffi-
me, calamū sumpfi, ut te consolarer, do-
loremq̄ illum minuerem, quem cepisti ob interi-
tum M. Antony Flaminij, probi hominis, ac
summis ingenij dotibus pradi. Neq̄ enim tan-
tum mihi tribuo, ut fortem uirum, usq̄ ac do-
ctrina nostra imbecillitatis peritum, audeam
monere: aut tibi eripio, quem scio nullo nego-
tio, quicquid remedij huic malo adhiberi po-
test, per seipsum inuenturum: sed ut tecum ali-
quantulum de graui hac plaga per literas lo-
querer, qua cunctos optimarum artium studio-
sos meritò percussit. In quibus cum ipse inferio-
rem locum teneam, acumē tamen ingenij illius,
uita sanctitatem, praclaram eruditionem, mo-
rum elegantiam in primis dilexerim, uel susse-
xerim potius: non potui mihi temperare, quin
egritudinem párerem, ac de communi hoc da-
mno tecum quererem. Amissimus enim morte il-
lius, florem poetarum, decusq̄ ac splendorem hu-
ius seculi, quod ille mirificè ornabat, ac pluri-
mis, maximisq̄ uirtutibus suis illustrabat. Hac
autem de aliquo prolata, non me fallit, exupe-

rantiā quandā amoris redolere, ac ualde com-
 motum animum eius, qui dicit, indicare. Quae ta-
 men de Flaminio edita, nedū nimis quā oport-
 teat, laudem eius efferant, non plene, integreque
 uidentur illum explanare. constat enim, ipsum
 non ceteris tantū poetis nostra aetatis faculta-
 tem condendi carminis praestitisse, sed ueterum
 etiam Latinorum gloriam, & uarietate poema-
 tis, & elegantia adequasse. Quanta autem scē-
 licitate ingenij, obscuros sensus ueterum scripto-
 rum, & aut breuitate uerborum, aut huiusce-
 modi aliqua caligine inuolutos explicare potue-
 rit, eademque dilucidē ac copiose tractare, nihil at-
 tinet docere: cum illi ipsi Græco homini, qui om-
 nium iudicio huius rei palmam olim reporta-
 uit, non cesserit. quod & cantus Hebræorum
 poetarum ab ipso expressi, & duodecimus Pe-
 ripateticorum principis liber de prima philoso-
 phia declarāt. Te uerò potissimum delegi, apud
 quem mærorem meum testarer, cui scio mortem
 illius ualde molestam fuisse, & commune hoc
 damnū spectanti, et multis uoluptatibus (quas
 quotidie è uenustate illius, suauissimaque consue-
 tudine decerpebas) carenti, cum eum domi tuae
 aleres, in cœtuque honestissimorum tuorum sōda-
 liū haberes. Fuit enim semper hoc uirtutis tuae,
 singu-

singularisq; bonitatis, ut studia literarum foueres, praestantesq; in illis uiros uehementer amares, atq; omnibus quibus posses comodis augeres: ac quem ardui omnia sedulo colligere, quae tantum dolorem ualeant mitigare: firmamq; illius memoriam in animo tuo imprimeres, cum formam etiam oris ipsius diligenter olim apud nos expressam hinc accieris, simulacroq; hoc etiam corporis putaris te posse adiuuari. Animi namq; effigies, imagoq; uitae extinguui, deleriq; e pectore tuo non potest. praeter enim quam quod facta Flaminij honesta, grauesq; uoces assidue tibi arbitror obuersari, monumenta ingenij ipsius quasi speculum indolis, nunquam eam patientur euanescere, neq; ex animo tuo tantum, sed eorum etiam omnium, qui non omnino auersi à Musis sunt, nec omnium deliciarum, ingenuarumq; uoluptatum rudes. Nam tibi magnam, certamq; consolationē accepi attulisse, quod sancte ille, pieq; discessit e uita, atq; ea constātia mentis, & alacritate, quae ab eo qui ita ut ille uixisset, ac uera religione imbutus esset, solo poterat expectari. Hoc enim quod alijs fortasse maio

se, ut Christianum decet hominem, gessisse, ac honeste acta uita finem similem addidisse. Ipse certè, qui nō eo robore animi sum, neq; tam altè in uera pietate radices egi, cōflictor magnopere, ereptum nobis esse talem uirū, qualem fortasse nunquā futura ætas uidebit. Quòd si damnum tantū spectemus, quod fecimus, minorib; ipsius laudibus, tanquā luminibus quibusdam extinctis, iactura hæc acerba, luctuosaq; admodū est, nedū si exemplar humane probitatis ablatū nobis cogitemus: et tamē omnia sunt æquo animo ferenda, quæ nos infirmitatis nostræ admonent. Iis uerò, qui ea grauitate animi, scientiaq; Christiana pietatis, qua tu, ornati, instructiq; sunt (qui tamē pauci sunt) non ferēda enim, uerū etiā contemnēda. Quare gaude tuo isto eximio præstatiq; bono, utereq; his armis ad huiuscemodi fortune impetus propulsandos: nobisq; ignosce, qui humi adhuc strati, his uulnerib; tolerandis pares nō sumus, ac omnia deniq; tenui, imbecilloq; animo iudicamus: præcipuè autē mihi, qui non tantū me ab atroci hac plaga, agritudineq; cōfici passus sum, sed in aliū etiā immerentem, partē eius conieci, ac magnitudine doloris mei dolorē etiam tuū excitauī, obductamq; fortasse iam cicatricem sine causa refricauī. Vale.

REGINALDVS POLVS CAR
dinalis Anglus Petro Vi-
ctorio.

Quanto dolore affectus fueris, uel mœ-
rore potius, ex Flaminij nostri morte,
optimi & doctissimi uiri, facile ex tuis literis
intellexi: in quo quidem declaras, non modò
quantopere illum dilexeris, quantiçq; feceris, sed
quantum etiam ipse ob humanitatem istam a-
mandus sis. Nec uerò hoc obscurum ingenue na-
tura & probitatis tua signum ac testimonium
est, quòd homo in ysdem studijs, in quibus ille
excelluit, magna cum laude tot iam annos uer-
satus, equalis tui obitum tam amanter defles,
& eiusdem ingenium ac mores summis effers
laudibus. Sed quæ tu de Flaminij ingenio; ac
præstanti in optimarum artium studijs laude
commemorasti, ea tibi & cuius ex uarijs illius
& elegantissimis scriptis, æquè ac mihi cognita
esse potuerit. Illa uerò quæ maiora sunt ex eius
laudibus, propter intimã, quæ mecum illi fuit,
consuetudinem, & assiduam multorum anno-
rum conuictum atq; usum, & facilius animad-

rerum, quas uulgò homines admirantur, cupiditate remotiorē: aut deniq; in omnibus Christianæ charitatis officijs diligentiorē. Itaq; tali uiro extincto, quem ego unicè diligebam, & à quo me summopere amari sentiebam (si modò extinctus is est, qui morte immortalitatē commutauit) negare non possum, quin ipse quoque grauius sim commotus: & cui superioribus temporibus plurimæ alia calamitates incidere, hanc nulla serè earum leuiorem esse existimarem. Quòd si tu propter admirationem illius probitatis atq; doctrina, grauius eius morte doluisti, quid me tandem facere par est, qui ijs ipsis bonis assidue fruebar? quiq; præterea ex suauissimis eius sermonibus summam iucunditatem, ex amantissimis consilijs maximum fructum, in omni actionum mearum genere capiebam? Sed tamen qui rebus aduersis perferendis, Deo iuuante, iam pridem assuefacti sumus: quiq; omnia quæ uoluntate diuina cueniant, non forti modò, sed æquo etiam animo patienda nobis esse statuerimus: hoc nostrum incòmodum, grauissimamq; iacturam eo ferimus animo, quo debemus. Tantū uerò abest ut illius uicem doleamus, ut etiam ipsius causa gaudendum esse intelligamus. Etenim cui magis propitium ac placatum

placatum Deum fuisse, cui ue facilius aditum ad eternam & beatam illam uitam patuisse censendum est, quàm ei qui (ut ipse quoq; de eo sentis) & integerrimè semper, ac castissimè uixerit: & ex hac uita piè, sanctèq; discesserit? Profectò illius obitu dolere, inuidētis esset potius, quàm amantis. Quare te quoq; hortor, ut cum is tam præclarè uitæ suæ cursum consecerit, hac cogitatione desiderium, quo ex illo afficeris, lenias: quod facilius etiam assequere, si ijs literis, quæ ut sunt, ita appellatur sacra, aliquid tui studij & temporis impertieris: ex quibus (id quod ipse expertus cōfirmare possum) præter suauissimū quendam animi fructū ac uoluptatem, quam percipies, omnia quæ euenire homini possunt incōmoda (modò omnis spes nostra in Deo fixa teneatur) nō tolerabilia solum esse, sed ad salutem etiam animorum uim habere maximam intelliges. Sed hac hæctenus. Ego & tuum scribendi ad me consiliū amaui, quod charissimam mihi, & iucundissimam Flaminij memoriam (quanquam ea quidem, quoad uiuam, ex animo meo effluere nunquam tota

174 REG. POLI EPISTOLA.

*Eo porrò sum in te animo, ut si quam ad rem
opus tibi opera & studio meo fuerit, ea tibi, ut
ab homine talium uirorum, qualis es tu,
uehementer cupido, parata esse
pollicear. Vale, meq̄
ama.*

FINIS.

BASILEAE,

*Ex officina Ioannis Oporini, Anno salutis
humanae M. D. LII. Mense
Martio.*



